DE UNIONIS MYSTICAE QUAM VOCANT DOCTRINAE LUTHERANAE ORIGINE ET PROGRESSU SAECULO XVII.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM SUMME VENERABILIS
THEOLOGORUM MARBURGENSIUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS ANNEXIS
AD
LICENTIATI THEOLOGIAE GRADUM
CAPESSENDUM
VENIAMQUE DOCENDI THEOLOGIAM
RITE OBTINENDAM
DIE XX. MENSIS MAII ANNI MDCCCLXXI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS KREBS
WEILBURGENSIS.

ADVERSARII:
CAROLUS HAMANN, NEOSTRELITIENSIS.
CAROLUS SCHIRMER, WETTESINGENSIS.
GUSTAVUS HUEPEDEN, CASSELLANUS.

MARBURGI MDCCCLXXI.

HENRICO HEPPE

PHIL. ET THEOL. DR., THEOL. P. P. O.

VIRO SUMME VENERABILI, PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Distinguitur unio mystica a similibus doctrinis.

Formula concordiae absoluta atque perfecta anno 1577 quum doctrina lutherana omnino a Melanchthonis, praeceptoris Germaniae, qui vocatur, doctrina separata esset et Melanchthonis auctoritas antea maxime spectata atque probata ex ecclesia lutherana esset ejecta, non tamen omnia, ex quibus proximo saeculo orthodoxa lutherana doctrina constat, statim sine ulla dubitatione in formula concordiae posita fuerunt, sed sunt etiam doctrinae quaedam singulares, quas compluribus jam decenniis peractis post publicatam concordiae formulam ortas, quamquam non in ea formula inveniuntur, tamen orthodoxi lutheranae ecclesiae doctores ut orthodoxas doctrinas agnoverint et formulae concordiae locis confirmare studuerint. Eiusmodi doctrina nondum quidem in concordiae formula prolata, sed tamen ut orthodoxa a plerisque saeculi XVII orthodoxis lutheranis doctoribus, Hülsemanno, Koenigio, Calovio, Quenstedtio, Hollazio agnita, ea est, quae **unionis mysticae** nomen habet, cuius id proprium atque singulare est, ut sit approximatio quaedam substantiae Trinitatis ad substantiam hominis fidelis sequens eius justificationem; quae doctrina quo tempore, ubi, quomodo, quo consilio orta atque excogitata et quemadmodum progressa sit saeculo XVII, fusius atque accuratius accitis quam plurimis, qui huc spectant, auctoribus dogmaticis explicare conabor.

Ac primum quidem cavendum est, unionis mysticae doctrina ne confundatur cum aliis doctrinis similibus, quod quum facile potest fieri propter similitudinem, tum vero factum est a nonnullis scriptoribus ecclesiasticis.

Longe enim diversa est haec lutheranorum unio mystica a reformata illa doctrina, quae vocatur insitio in corpus Christi mysticum vel unio cum Christo, quae in Joach. Curaei, Petri Boquini, H. Zanchii, Casp. Oleviani, H. Witsii, Petri van Mastricht scriptis invenitur. Haec enim unio realis, i. e. suo modo substantialis, totalis, quatenus totus christianus unitur toti Christo corpore et animo tenus cum divina et humana Christi natura, indissolubilis et aeterna, spiritualis est, quatenus fit per Spiritum unum, qui est in Christo et christianis, in Christo quidem ut in capite, in christianis autem ut in membris (Mastricht), nam, ut Zanchius vult (fides de rel. christ. cap. 12.) „homines a Christo, in quo sola „posita est, salutem vitamque percipere nequeunt, nisi vere ei „inserantur veraque et reali unione copulentur copulatique in „eo maneant." Unio cum Christo igitur „talis copulatio est, „qua cum ipso, licet non in unam personam in unum tamen „verum mysticum corpus, cuius ipse sit caput et nos singuli „membra, uniamur fiamusque participes divinae ipsius naturae", ut hac „vera et reali copulatione salutis quoque aeternae, quae „ab ipso [Christo] parta in ipso etiam residet, participes fiamus." Quamobrem, quoniam, id quod ab Oleviano potissimum (de subst. foed. gratuiti pag. 70—106) demonstratur, justificatio primum fluit ab aeterna electione, quum peccata omnium electorum in persona Christi propter obedientiam eius activam inhaerescant, et obedientia Christi passiva, quae est eius meritum, in electis inhaerescat, electi ab omni aeternitate Christo donati sunt, ita ut illi eius corpus sint mysticum, cuius ipse sit caput. Resurrectione autem Christi, qua Deus salutare eius opus confirmavit, omnia membra corporis mystici Christi continentur, ita ut Christi resurrectione omnes electi etiam justificati sint.

Singulorum igitur justificatio nihil potest esse aliud, quam ut singuli electi fide a Spiritu S. homini donata electionis suae et justificationis conscii fiant.

Ergo hoc interest inter doctrinam lutheranam et reformatam, quod in illa unio mystica justificationem sequitur, in hac autem unio cum Christo sive insertio in corpus Christi mysticum praecedit justificationem et electus eo justificatur, quod aeternum pactum salutis, quod est patris cum filio, hac unione in hominem electum transfertur. Et quum lutherana unio mystica perdi possit peccando, status reformatae unionis cum Christo, quoniam ad solos electos pertinet, indissolubilis et aeternus est.

Deinde mihi discernenda videtur unionis mysticae doctrina ab ea, quae ab Hollazio (Examen theol. acroam. 1763. pag. 933 et 944) appellatur unio formalis fidei, qua, ut ille ait, „apprehenditur, induitur, nobiscum unitur Christus ut „mediator et auctor impetrandae gratiae et remissionis pecca„torum“, quam unionem priorem esse justificatione arbitratur. „Fides enim“, addit Hollazius, „ad justitiam imputatur, qua„tenus meritum Christi recipit et nobiscum unit, ut fiat nostrum“. Hanc autem unionem formalem fidei luculentis verbis distinguit ab unione fidelium mystica cum Deo, quum pag. 944 Lutheri illud (comment. ep. Paul. ad. Gal. II, 20), homini christiano licere profiteri „ego sum Christus“ ita explicat, ut dicat, Lutherum loqui de unione formali fidei, qua Christus mediator apprehenditur, non de unione mystica, qua Deus in anima reconciliata habitet, quae justificationem ordine naturae sequatur. Hinc enim apparet, Hollazium luculenter distinguere inter unionem mysticam, justificationem sequentem, et unionem formalem fidei, Christi meritum occupantem et justificatione priorem. Quare errat H. Schmid (Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche 1853. pag. 375 et 376), quum Hollazii verbis, quae supra retuli ex pagina 933, doceri putat, unionem mysticam posse etiam priorem esse justificatione; qui, si verba

Hollazii ea, quae ex pag. 944 retuli, diligentius perpendisset, sine dubio intellexisset, se formalem illam fidei unionem confundere cum unione mystica.

Cavendum est denique, ne unionis mysticae doctrinam confundamus cum Weigelianismo, qui dicitur, quod fecit Georgius Calixtus. (Antwort auf Johannis Hülsemanni meisterliches Muster. 1651.).

Valentinus enim Weigelius, pastor lutheranus Zschopavensis, homo praeclarus pietate († 1588), in libris suis post mortem ab amicis editis singularem plane mysticam doctrinam protulit, quae ab orthodoxis sequentis saeculi doctoribus ut haeretica repudiabatur, unde factum est, ut hi maxime se offendi putarent, si quando orthodoxa unionis mysticae doctrina cum Weigelii doctrina confundebatur.

Observanda nobis hic sunt quinque Weigelii scripta: Theologia Weigelii, das ist öffentliche Glaubensbekenntniß. Franckfurt. 1699. Deinde: *Γνῶθι σεαυτόν*. Neuenstadt. 1618. Tum: Dialogus de Christianismo, das ist ein christliches, hochwichtiges, nothwendiges Colloquium oder Gespräche dreier fürnehmster Personen in der Welt, als Auditoris, Concionatoris und Mortis, wie der Mensch von Gott gelehret, aus Gott wiedergeboren, mit Christo leibhaftig innerlich und äußerlich vereiniget, selig und gerecht werde und nicht außerhalb ihme. Neuenstadt. 1618. Tum: Kirchen- oder Hauspostill über die Sonntags- und fürnehmsten Festevangelien. 1699. Denique: der gülden Griff, das ist alle Ding ohne Irrthum zu erkennen. Neuenstadt. 1617.

Weigelius igitur docet, intelligendo et cognoscendo hominem id fieri, quod intellexerit et cognoverit, et sic etiam Deo cognoscendo et intelligendo hominem cum Deo uniri corpore atque Deum Deique filium fieri*). Haec unio igitur, quae

*) Weig. Theol. pag. 124: „Also kann sich der Mensch durch intelligere, cognoscere mit Gott leibhaftig vereinigen und kann das werden, das er erkennt,

constat inter Deum et hominem, talis est, ut ex Deo et homine una substantia, ut ita dicam, fiat*), qua unione substantiali justificatur homo, non imputatione meriti Christi, quae opinio multis locis a Weigelio rejicitur. Unione igitur substantiali cum Christo tota vita Christi in homine est et hanc vitam cum Christo vivens, compatiens, concrucifixus, commoriens, consepultus, consurgens cum Christo justificatur homo**).

---

nemlich Gott oder Gottes Sohn: also wird der Mensch eben dasselbe, das er studirt, lernet und erkennet; ja er findet sich selber, denn er ist alle Dinge in ihm selber."

*) Hoc multis locis confirmatur, ut Theol. pag. 125 et 126: „Im Glauben essen wir Christi Fleisch und trinken sein Blut, so müssen wir eben das werden, das wir essen, das ist, wir werden Christen, ein Christ durch Christum, und müssen mit ihm wesentlich eins sein, nicht imputativisch von Außen zugerechnet, sed unione essentiali. Was werden die hohen Schulen antworten an jenem Tag, daß sie Hosiandrum verworfen haben mit der essentiali justificatione, daß wir in Christo wesentlich müssen vereiniget werden und bleiben, wie die Rebe am Weinstock. Sie werden verstummen und in die ewig Finsterniß hinausgeworfen werden mit ihrer justitia imputativa. Die Einwohnung muß es thun, daß wir ein leiblicher Tempel Gottes seien. Gleichwie der Vater leibhaftig wohnet in dem Sohne, also wohnt Christus leibhaftig im Renato. Da hast Du Vater, Sohn und heil. Geist, die heil. Dreifaltigkeit im Menschen, und auch außer dem Menschen." Deinde *Γνῶθι σεαυτόν*, libri II, qui est de Astrologia theologizata, pag. 2: „Denn unser Studiren und Lernen gibt unionem essentialem, daß der Lerner und das Gelernte ein Ding werde, davon die hohen Schulen wenig wissen, noch begehren zu wissen." Deinde in Dialogo de Christianismo Weigelius doctrinam suam his verbis defendit pag. 17: „Der Apostel sagt: Gott wohnet leibhaftig in Christo und war in Christo und versöhnete die Welt mit sich selbst durch Christum; und der Sohn saget: der Vater ist in mir und ich im Vater; das ist eine wesentliche leibhaftige Einwohnung. Wie nun Gott der Vater in Christo dem Sohne ist und der Sohn im Vater, diese beide eins, also ist Gott der Sohn im gläubigen Menschen und der gläubige Mensch im Sohne, diese beiden eins."

**) Kirchen- oder Hauspostill, part. III. pag. 16 et 17: „Nein in Wahrheit, es hilft Dich nichts von Außen an, spring hoch oder nieder: Vita Christi muß es in dir thun, Christus inhabitans, non ab extra manens; nun bringt der wahre Glaube, der da ist Vita Christi in uns mit sich ohne alle Widerrede: das conbaptizari, das compati, concrucifigi, commori, consepeliri und

Non autem ad paucos renatos modo homines pertinet haec inhabitatio Dei essentialis, sed omnes homines, fideles et infideles, quin etiam Pharisaei huius unionis participes sunt; renati autem soli cognoscunt et sentiunt hanc inhabitationem, unde fit, ut ei soli per eam salute et beatitudine fruantur *).

Hanc igitur Weigelianam unionis Dei cum hominibus doctrinam cum Hülsemanni doctrina unionis mysticae confundens errat Georgius Calixtus. (Antwort auf D. Joh. Hülse-

---

das consurgere; die unio essentialis muß es thun, daß wir ihn geistlich und leiblich in uns haben, wo bleibst du nun mit deiner erdichteten imputativa justitia. Du wirst dich vor dem Zorne Gottes damit nicht verdecken können, indue Christum, ziehe an den neuen Menschen, alsdann wird dir aus Gnaden imputirt, was Christus vor dir gethan hat, sonst bleibst du ewiglich verdammt und verloren mit deiner imputativa justitia, mit der impletione legis per mortem Christi am Kreuz geschehen für die Sünde der ganzen Welt." Deinde Dialog. de Christianismo pag. 14. auditor, qui in hoc dialogo semper Weigelii ipsius sententiam profert contra concionatorem, qui est orthodoxus theologus, disputat: „Die Wiedergeburt in uns ist Christus inhabitans et regnans und ist der Glaube und die Liebe, die Gerechtigkeit, Fried und Seligkeit." Pag. 16 et 17. concionator monet, ne auditor ruat in Osiandri haeresin, ad quod respondet auditor, apostolorum et prophetarum scriptis suam doctrinam confirmari, et quum Dei filius ipse haec locutus sit, et eius verbum ipse Spiritus sanctus sit, eum, qui rejiciat hanc doctrinam, peccare in Spiritum S., quod peccatum non posse condonari.

*) Dial. de Christ. pag. 62: „Das innere Zeugniß, die Salbung in quolibet ist doch unwidersprechlich." Et der güldne Gr[iff] cap. 25. pag. 67 et 68: „Alles was von Gott wird gesaget, das ist er selber und ist von seinem Wesen ungeschieden, als Gott ist selber der Wille, und der Wille Gottes ist das unwandelbare Gesetz Gottes im Menschen, mit Gottes Finger ins Herz geschrieben. Daraus folget, daß Gottes Gesetz, Gottes Wort, Gottes Wille, Gottes Same, Gottes Bildniß, Christi Geist, Finger und Gottes Reich ein Ding ist und sei in allen Menschen. Darum, wo das Gesetz Gottes ist, da ist auch sein Wille, Wort, Reich, wie gesagt ist zu den ungläubigen Pharisäern: Das Reich Gottes ist inwendig in euch! Solches sage ich derenthalben, die da sprechen: Gottes Gesetz ist wohl in allen Menschen, aber nicht Gottes Wort oder Reich; ob es aber wohl in allen Menschen ist, in Guten und Bösen, in Gelehrten und Ungelehrten, und alle das Leben davon haben, dennoch wollen es die Menschen weder kennen noch sehen."

manni meisterliches Muster). Ab omnibus enim, qui unionem mysticam docent, prae ceteris id affirmatur, hanc unionem duarum substantiarum salvis duabus Dei et fidelis substantiis sine ulla alterius substantiae commutatione vel commixtione fieri, Weigelius autem, quod ex eis, quos ego supra attuli, locis perspicuum esse non animadvertit Calixtus, talem docet substantiarum unionem, ut ex duabus substantiis una fiat; dicit enim (Theol. pag. 125): debere nos fieri cum Christo unione essentiali „wesentlich eins." (cf. etiam Dial. de Christ. pag. 17). Deinde eo praecipue ab unione mystica differt haec Weigelii unio, qua Deus cum hominibus substantia unitur, quod, quum non ad solos renatos, ut lutheranorum unio mystica, sed ad omnes homines, fideles et infideles, bonos et malos pertineat et homines eo justificentur, quod cognoscant hanc unionem, non eo, quod eis propter fidem suam Christi justitia atque meritum imputetur, certe perdi non potest, nam si perdatur ab aliquo, jam non ad omnes homines pertineat. Christum autem ipsum Weigelio in solis renatis habitare et ad unam substantiam uniri, ex compluribus, quos supra citavi, locis apparet, ubi docet, renatos edendo carnem et bibendo sanguinem Christi fide id fieri, quod edant et bibant, id est cum Christo eos substantialiter unum fieri. (Theol. pag. 125 et 126).

Huius Weigelii sectator atque socius fuit Stifelius quidam, qui in libro, cui titulus inscribitur „Vier Traktätlein", hunc in modum de inhabitatione Christi loquitur: „Christus wohnet also in den Wiedergeborenen und hat sich so nahe mit ihm vereiniget, daß ein solcher Mensch zum andern sagen kann: Ich Christus Jesus, das lebendige Wort Gottes, habe dich erlöset durch mein unschuldiges Leiden." Et: „Die Wiedergeborenen sind Gott-Mensch und Mensch-Gott, nicht zwei, sondern eins mit Gott."

Omnia igitur, quae hic dicta sunt de Weigelii et Weigelianorum doctrina unionis Dei cum fidelibus, ita pugnant cum

lutherana unionis mysticae doctrina, ut nullo modo hae duae doctrinae inter se confundi possint.

§. 2.
De Luthero et Melanchthone.

Jam definito discrimine inter unionem mysticam et alias doctrinas similes accedamus ad investigandum tempus, quo primum orta sit apud orthodoxos lutheranos haec doctrina, et imprimis videamus, utrum jam ab initio ecclesiae evangelicae a Luthero et Melanchthone doceatur necne.

A compluribus eorum, qui unionem mysticam docuerunt, ad graviorem huius doctrinae confirmationem accitur Martini Lutheri auctoritas, sed plane immerito, quum omnes ex Lutheri scriptis petiti loci non de unione mystica intelligendi sint, quoniam nusquam appropinquatio seu approximatio substantiae divinae docetur.

Citantur a Calovio, quae dixit Lutherus tom. VII., fol. 107 editionis Jenensis germanicae, fideles Dei habitaculum, hortulum, paradisum esse et omnia, quae mala fidelibus fiant, quasi Deo fieri. A Quenstedtio complures Lutheri loci citantur, inter quos hi imprimis observandi: Edit. Witteb. lat. 1549. tom. III., fol. 527., ubi in enarratione in Ps. LI. de versu, „cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova „in visceribus meis“, his verbis agit: „Omitto autem istas „inutiles scholarum disputationes: loquaturne de Spiritu efficiente seu persona divina aut de dono Spiritus. Quid enim „ista accurate disputata aedificant, quum habeamus clarum „verbum Christi: Veniemus ad eum et mansionem apud eum „faciemus. Habitat ergo verus Spiritus in credentibus non „tantum per dona, sed quoad substantiam suam. Neque enim „sic dat dona sua, ut ipse alibi sit aut dormiat, sed adest donis „et creaturae suae conservando, gubernando, addendo robur

„etc.. Petit igitur propheta, ut, postquam justificatus est et „remissionem peccatorum accepit, ut iste sensus misericordiae „Dei altissimae per Spiritum S. infigatur animo......“ His vero locis non de unione mystica Lutherus loquitur, neque enim Spiritum S. propter substantiam suam appropinquare dicit et dari fidelibus, quod si diceret, unionem mysticam diceret, sed Spiritum S. ait in fidelibus habitare, absentem vero a fidelibus aut dormientem eis dona sua dare negat, quia hoc pugnet cum natura absoluti et infiniti Dei, qui omnibus creaturis substantia sua praesens esse debet, nisi dubitatur de eius infinitate et immensitate. Itaque quum omnibus creaturis Deus trinunus substantia sua praesens sit, etiam fidelibus substantia sua praesens esse debet, nec absens aut dormiens eis dona sua dare potest. Haec igitur Lutherus dicit, non Spiritum S. substantia sua fidelibus appropinquare; quin etiam addit, prophetam Ps. LI, 12. petere, ut, postquam justificatus sit et remissionem peccatorum acceperit, iste sensus misericordiae Dei altissimae per Spiritum S. infigatur animo, non, ut ipsius substantiae Spiritus S. jam praesentia generali, qua omnibus creaturis adest, ei praesentis substantia novo modo addatur, sed id, quod novum sibi fideli donari cupit propheta, sensus est misericordiae Dei a Spiritu S. animo fidelis infigendus, donum igitur Spiritus S.

Alius a Calovio et Quenstedtio citatus locus ex Lutheri operibus petitus, quo a Luthero doceatur unio mystica, invenitur in Lutheri commentario in epistolam S. Pauli ad Galatas, ubi de cap. II, 20. versu, „vivo autem jam non ego, sed vivit „in me Christus“, hoc modo agitur (edit. Francof. 1563. pag. 285.): „Quare fides pure est docenda, quod scilicet per eam „sic conglutineris Christo, ut ex te et ipso fiat quasi una persona, quae non possit segregari, sed perpetuo adhaerescat „ei, ut cum fiducia dicere possis: ego sum Christus, hoc est: „Christi justitia, victoria, vita etc. est mea; et vicissim Christus „dicat: ego sum ille peccator, hoc est: eius peccata, mors etc.

„sunt mea, quia adhaeret mihi et ego illi, conjuncti nos sumus „per fidem in unam carnem et os. Eph. 5." His vero in verbis figura quadam orationis se uti ipse Lutherus addito vocabulo „quasi" indicat, nec, si ad verbum ea acceperis, Lutherus unionem mysticam, sed Weigelii de unione opinionem protulerit. Praeterea ex ipsis illis orthodoxis, qui unionem mysticam docuerunt, Hollazius Lutherum de unione fidei formali dicere censet, non de unione mystica. (Exam. theol. acroam. pag. 944). Spenerus autem, quamquam dicit, unionem mysticam etiam hic intelligi, tamen affirmat, imprimis hoc dictum esse de imputationis meriti Christi mysterio. (Consilia et judicia theol. lat. part. I, pag. 141).

His igitur locis Lutherum non cogitasse de unione mystica, quum demonstrarimus, alium eius locum afferamus, unde apparet, illam doctrinam ab eo alienam fuisse. Nam cum lutherana doctrina, quae verbis sacri codicis ad verbum intellectis docet, Deum piis substantia sua appropinquare, ab impiis recedere, pugnant ea, quae ipse Lutherus adnotavit ad verba Genes. XI, 7, ubi Deus dicit „descendamus." Hoc enim Lutherus (edit. Witteb. lat. 1561. tom. VI, fol. 141.) ita explicat: „Descendit Deus non re seu substantia, est enim ubique, sed „desinit dissimulare, desinit esse longanimis et incipit revelare „peccatum, punire et arguere."

Philippi Melanchthonis ingenuam atque simplicem pietatem hanc doctrinam proferre non potuisse manifestum est, nec ullam unquam in eius scriptis doctrinam reperimus, quam quisquam censere possit esse unionem mysticam. In eius „Examinis eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis, „qua commendatur eis ministerium evangelii", (edit Witteb. 1554.) articuli de Deo quaestione: „Quae persona assumpsit „humanam naturam?" enumeratos invenimus quatuor gradus praesentiae Dei, quos hunc in modum describit Melanchthon: „Primus [gradus scil.] est praesentia universalis, quae est prae-„sentia conservationis, qua Deus omnibus creaturis adest, ita „ut conservet eas tantisper, donec vult eas conservare, de quo

„gradu dicitur Jerem. 23: Nonne coelum et terram ego im-„pleo? dicit Dominus. Item: Enter praesenter Deus hic et „ubique potenter. Juxta hunc gradum etiam malis adest. Et „manifestum est, Deum sic separabiliter rebus adesse, quia de-„struit naturas, quas vult destruere ut Pharaonem et maximam „partem generis humani in diluvio. Secundus gradus est, quo „adest beatis angelis et hominibus et conservat non tantum „vitam eorum, sed etiam vivificat eos vita aeterna et implet „eos sua luce et justitia et visibiliter et immediate conspicitur „ab eis, et quamquam non discedit ab eis, tamen adest eis „tantum societate. Tertius gradus est, quo adest in hac vita „renatis ut Davidi, quo videlicet non tantum vitam eorum „conservat, sed etiam efficit in eis motus sibi placentes et „tamen non conspicitur visibiliter, ut in vita aeterna conspi-„cietur et adest separabiliter. Quartus gradus longe alius est, „quo sola haec persona λόγος assumit humanam naturam . . . . . ." Tertius inter hos gradus is est, quem orthodoxi XVII. saeculi unionem mysticam vocant, in Melanchthonis explicatione autem eiusmodi nihil invenitur. Distinguitur enim hic tertius praesentiae Dei gradus, quo Deus adest renatis solis, a primo gradu, quo omnibus creaturis etiam malis adest, eo tantum, quod renatorum non modo vitam conservat, — haec enim praesentia universalis est, et malorum etiam vitam conservat, — verum etiam in renatis efficit motus sibi placentes. Hac re igitur distinguitur tertius gradus, qui ab aliis vocatur praesentia gratiae, a primo gradu, praesentia universali, quod novis actionibus in renatis operatur motus sibi placentes in eis efficiens, non eo, quod novo quodam modo in tertio gradu substantia Dei ad renati substantiam appropinquet, id quod est unionis mysticae, quam igitur hic nullam habemus.

Ut autem hoc loco non invenitur illa doctrina, ita ne in „communibus" quidem „Melanchthonis locis theologicis"*). Huius

*) Utor editione ab Joan. Oporino Basileae anno 1561 facta et denuo edita ab Joan. Andr. Detzer. 1828.

libri in part. I., loci de Deo ea positione, quae agit de filio, ubi etiam proprietates trium Trinitatis personarum describuntur, pag. 20., legimus de missione Spiritus S.: „Tribuitur et haec „proprietas [Spiritui S.], quod sit persona, quae mittitur in „corda renascentium, id est, qua persona pater et filius ac„cendunt novam lucem, novos motus Deo placentes, justitiam „et vitam in cordibus renascentium ....“ Hic igitur vocabulum mittendi, quod est sacri codicis, statim ita interpretatur Melanchthon, ut dicat, Spiritum S. in renascentium cordibus novam lucem, novos Deo placentes motus accendere; non ad verbum intelligit sacri codicis verba, ut Spiritum S., jam substantia sua immensa omnibus creaturis, itaque etiam fidelibus praesentem, denuo fidelibus substantia sua novo modo appropinquare arbitretur, sed modo novas Spiritus S. in fidelibus operationes enumerat ad interpretandum mittendi vocabulum.

§. 3.

De formula concordiae et de doctoribus ecclesiae lutheranae sub finem saeculi XVI.

In formula concordiae anno 1577 perfecta, quae quidem sublata Melanchthonis auctoritate orthodoxam eius aetatis doctrinam ecclesiae lutheranae exhibet, nondum unio mystica docetur, unde consequitur, eo tempore omnino nondum hanc doctrinam ab orthodoxis lutheranis doctam esse. Quum autem formula concordiae primarius inter lutheranos esset liber symbolicus, orthodoxi sequentis saeculi unionem mysticam docentes unum saltem formulae concordiae locum afferre debebant ad confirmandam unionis mysticae doctrinam, ut dicere possent, jam hic in primario ecclesiae lutheranae libro symbolico doceri unionem mysticam, atque ita eam doctrinam sine dubio ortho-

doxam esse ecclesiae lutheranae. Acciunt igitur locum form. conc. solid. declar. III. (de justitia fidei coram Deo), 65. (pag. 698 editionis formulae concordiae, quae invenitur in „libris symbolicis ecclesiae evangelicae sive concordia, recensuit C. A. Hase. Lipsiae. 1837.“): „[Rejicimus igitur atque unanimi „consensu damnamus] VI, quod non Deus ipse, sed dona Dei „duntaxat in credentibus habitent.“ Quamquam autem, ubi dicitur „Deus ipse“, dubitari non potest, quin de substantia agatur, tamen hoc loco non affirmatur unio mystica lutheranorum saeculi XVII., sed solum rejicitur deistica sententia, quae docet, Deum absentem extra mundum manentem in credentibus gratiose operari, qua sententia negatur Dei immensitas et infinitas. Nusquam autem in formula concordiae haec Dei inhabitatio, qua in fidelibus habitat, novam dicitur substantiae Dei ad fideles appropinquationem inferre atque ita distincta esse haec inhabitatio, quod ad substantiam divinam attinet, ab ea praesentia Dei, qua immensitate sua omnibus creaturis adest.

Ut concordiae formula caret illa doctrina, ita proximis orthodoxis ecclesiae lutheranae doctoribus, qui ante edita Hutteri scripta dogmatica, id est ante annum 1610, quo anno editum est Hutteri compendium locorum theologicorum, floruerunt, ignota est unio mystica orthodoxa. Quorum principes soli quum mihi respiciendi videantur, Martini Chemnitii, superintendentis Brunsvicensis († 1586), duo libri examinandi sunt, „loci theologici“ post auctoris obitum a Polyc. Leysero editi anno 1591, et „de duabus naturis in Christo libellus“ anno 1578 editus*), deinde Tilemani Heshusii, professoris theo-

*) Mihi posterior horum librorum editio ad manus est: „Martini Chemnitii loci theologici, quibus et loci communes D. Phil. Melanchthonis perspicue explicantur et quasi integrum christianae doctrinae corpus ecclesiae Dei sincere proponitur, editi opera et studio Polyc. Leyseri. Editio novissima, cui praeter jamdudum addita fundamenta sanae

logiae Helmstadiensis († 1588), „tractatus de duabus naturis „in Christo earumque unione hypostatica“ *), tum Nicolai Selnecceri, superintendentis Lipsiensis († 1592), duo libri alter ante formulam concordiae, alter post formulam concordiae promulgatam editus: „Institutiones christianae religionis. Fran-„cof. ad Moen. 1573.“ et „Operum latinorum pars I. continens „formam explicationis examinis ordinandorum olim scripti a „D. Philippo Melanchthone institutam et accommodatam ad „veram confessionem coelestis doctrinae sonantis in ecclesiis „et scholis Augustanam confessionem in forma christianae con-„cordiae repetitam et fideliter conservatam profitentibus. Lipsiae. „1584. Pars 1 et 2.“, tum Jacobi Heerbrandi, professoris theologiae Tubingensis († 1600) „compendium theologiae nunc „passim auctum et methodi quaestionibus tractatum. Tubingae. „1578“ **), denique Aegidii Hunnii, professoris theologiae Marburgensis, postea Wittebergensis († 1603) „tomus quintus „operum latinorum.“ (edidit Helvicus Garthius. Witteb. 1609).

Ab his quinque ecclesiae lutheranae doctoribus nusquam docetur unio mystica, sed ubi loquuntur de Dei inhabitatione in fidelibus, semper ita eorum verba accipienda sunt, ut Deus immensitate sua omnibus creaturis praesens in fidelibus singulari modo operetur. Christi autem apud fideles in ecclesia utriusque naturae praesentia nunquam ad unionem mysticam, sed semper ad omnipraesentiam totius exaltati Christi, ad ubiquitatem carnis Christi refertur.

Martinus enim Chemnitius (de duab. nat. in Chr. cap. VII., pag. 37.) docet, totam Trinitatem inhabitationis

---

doctrinae de vera et substantiali praesentia . . . . corporis et sanguinis Domini in coena . . . . et libellum de duabus naturis in Christo . . . . nunc recens accessit theologiae Jesuitarum . . . . descriptio . . . . Francof. et Witteb. 1690.

*) Editio anno 1590 Magdeburgi edita mihi ad manus est.

**) Prima huius libri editio est anni 1575.

gratia esse in sanctis non tantum eos sustentantem et conservantem, quomodo omnibus creaturis praesens sit, sed verbo et Spiritu S. eos convertentem, regenerantem, vivificantem, renovantem, conservantem, gubernantem, communicantem ipsis dona sua, accendentem lucem, sapientiam, justitiam, laetitiam, excitatis novis motibus sanctificantem eos. Non dicit, Deum fidelibus substantia sua appropinquare. Ubi autem dicit sacri codicis verbis utens, Spiritum S. posse amitti, in locis theologicis (part. I., loc. III., cap. IV., num. VI., pag. 96.) interpretatur eiusmodi verba sacri codicis. Dicit enim „Spiritus „vocabulum saepe pro ipsis donis usurpari.“ „Quando ergo „scriptura dicit: duplex Spiritus, item: auferam de Spiritu „tuo, extinguam Spiritum, certum est, loqui eam de donis, „quae in aliis majora, in aliis minora esse, crescere, augeri etc. „nullum est dubium.“ De praesenti utraque natura totius Christi personae in ecclesia agit Chemn. in libelli de duab. nat. in Chr. cap. XXX., ubi dicit, Christi utramque naturam esse posse, ubicunque velit aut ubicunque se affore promiserit, quae est Chemnitii doctrina de ubiquitate carnis Christi, itaque Christum etiam in coena dominica et in ecclesia adesse. Sicut autem in *λόγῳ* subsistat humana Christi natura, ita etiam, quatenus *τῷ λόγῳ* personaliter adhaereat, in *λόγῳ* eam omnia coram se praesentia habere et omnibus praesentem dominari *ἐν τῷ λόγῳ* (pag. 192). Sed et hanc praesentiam et eam, qua ecclesiae eiusque membris adsit, simpliciter credi debere, etiamsi modus, quo praesens sit, non possit intelligi.

Hic nusquam unio mystica docetur, nec usquam dicitur ea praesentia, qua Christi utraque natura ecclesiae et eius membris adsit, quod ad substantiam Christi attineat, arctior esse, quam ea, qua omnibus creaturis eas regens et gubernans adsit.

Ac ne Tilemanus Heshusius quidem unionem docet mysticam. Nam quatuor illos modos praesentiae in creaturis divinae explicans in „tractatu“ suo „de duabus naturis in Christo

„earumque unione hypostatica" de secundo Dei praesentiae modo, qui est inhabitationis modus et sanctificationis, hunc in modum loquitur: „Sanctos enim, in quibus habitat Deus, non „solum sustentat, neque tantum eis adest sua substantia, verum „etiam impertit eis suam gratiam et coelestia bona per Christum „parta, perfundit illos nova luce, accendit in illis vitam aeter- „nam, exornat eos nova justitia et facit eos templa Spiritus S. „et participes divinae naturae. Haec coelestia bona non im- „pertit impiis, etiamsi eis adsit eosque sustentet..... Haec „sanctificatio, inhabitatio et vivificatio vocatur specialis Dei „actio in fidelibus, ut illa universalis sustentatio vocatur actio „Dei generalis." Hic etiam discrimen inter inhabitationem Dei in fidelibus et eius praesentiam generalem, qua omnibus creaturis adest, in nulla alia re ponitur nisi in speciali Dei actione in fidelibus.

Etiam a Nicolao Selneccero ignorari unionem mysticam eo perspicitur, quod in operum lat. part. I., contin. formam explicationis exam. ordinandorum, part 1., artic. de Deo, pag. 160. dicit, teste Petro 2. ep. I, 4. „fieri nos *κοινωνοὺς* „*τῆς θείας φύσεως*, participes divinae naturae, non vero „essentiae, sed qualitatum, quas Dei gratia et potentia in nobis „efficit." Sed idem illud testimonium 2. Pet. I., 4. ab omnibus, qui unionem mysticam docent, ad confirmandam doctrinam, appropinquare substantiam divinam ad fidelium substantiam, citatur, quam interpretationem a Selneccero luculentis verbis rejici quivis intelligit. Ac ne ille quidem articulus, qui est de Spiritu S., (pag. 215.) appropinquationis substantiae divinae testis est, ubi scripsit: „Adest igitur Spiritus S. substantialiter „cum omnibus donis sanctificantibus hominem et pertinentibus „ad ecclesiam. Aliud autem est loqui de donis impiorum et „infidelium, quibus etiam adest Spiritus S. praesentia quidem „universali et etiam virtuali seu speciali pro sua voluntate, „sed non peculiari ea, qua homo sanctificatur, et quae in ec- „clesia est credentium propria." In altero Selnecceri libro

ante formulam concordiae promulgatam edito, „institutione „christianae religionis“, huius rei nullam usquam factam esse mentionem repereris, nisi quod part. I., pag. 66. enumerantur quatuor praesentiae Dei modi, quorum tertius sine ulla explicatione is esse dicitur, „quo in hac vita per fidem et Spiritum „S. habitat [Deus scil.] in renatis separabiliter.“

Jacobus Heerbrandus, ubi de unione personali in Christo loquitur (compend. pag. 88 et 89.), distinguit inter unionem duarum naturarum, divinae et humanae, in Christo et eam praesentiam, qua Deus in fidelibus inhabitat, quod discrimen eiusmodi esse dicit, ut Dei filius totum se personaliter Christo homini ex Maria virgine matre assumpto realiter, hoc est personam suam, majestatem, omnipotentiam vera et reali communicatione, non assistentia tantum communicaverit. Aliis hominibus Deum dare certam fidei et aliorum donorum mensuram dividentem unicuique, prout velit, Christo vero, homini assumpto, omnia Deum dedisse. Amplius nihil de hoc praesentiae Dei modo invenire potui.

Aegidius Hunnius, qui totam suam theologiam dogmaticam in LXVII disputationibus, quae quinto eius operum latinorum tomo continentur, protulit, saepe quidem de Christo utraque natura in fidelibus praesenti loquitur, sed quum etiam in infidelibus et inimicis suis utraque sua natura praesens sit, unionis mysticae doctrina nullo modo statui aut agnosci hic potest. In disput. XLV. enim, ubi de persona Christi agit, §. 83—87. (pag. 398 et 399.) hunc in modum de hac re loquitur: „Scimus Christum etiam, qua homo est, adesse fidelibus „suis, sive lapidibus obruantur, ut Stephanus etc. . . . . . : imo „praesentem illum adesse dicimus citra omnem inclusionem „conjunctis creaturis terrestribus et coelestibus, visibilibus et „invisibilibus. Ad Dei namque dexteram evectus et in illum „thronum omnipotentiae collocatus implet omnia Paulo teste „Eph. 4., et in manibus suis habet (praesentes ergo sibi) omnes „creaturas: dedit quippe pater ei omnia in manus etc. . . . . .

„Ergo et loca simul omnia supera et infera subjecta illi sunt, „non ipse subjectus locis, quatenus in dextera majestatis sedet „et regnat. Idcirco de hoc solo Jesu Nazareno, Mariae filio, „enunciat scriptura, quod, ubicunque duo vel tres sint congre-„gati in nomine eius, sit in medio illorum Matth. 18; quod „agnus ille Dei non forinsecus omnipraesenti throno dexterae „patris adhaereat, sed sit in medio illius throni Dei Apoc. 7; „quod filius ille hominis in humana natura visus Johanni am-„bulet in medio ecclesiarum in his terris Apoc. 1 et 2; quod „ad Dei dexteram exaltatus dominetur in medio inimicorum „suorum Ps. 110......“ Ex his verbis satis apparet, eam Christi praesentiam, qua utraque sua natura fidelibus et ecclesiae praesens adsit, eandem esse, quod ad substantiam attinet, atque eam, qua eum lutherana de ubiquitate carnis Christi doctrina omnibus creaturis etiam inimicis suis praesentem adesse vult. Quin etiam in commentario ad Joh. VI. (pag. 369. teste Calixto, Antwort auf D. Joh. Hülsem. meisterl. Muster, num. LXVII) de amittendo et recedente Spiritu S. hunc in modum agit: „Ad hoc facile respondetur, quod absurdum „judicant, toties excidere Spiritum S., quoties scilicet gravius „homo peccaverit. Neque enim aliquis per essentiam accessus „et recessus Spiritus S. fingendus est, sed eiusmodi exclusio „sive ejectio Spiritus S., qua Spiritus S., essentialiter existens „in omnibus et manens in iisdem secundum essentiam, ad „eosdem vel accedit vel recedit secundum gratiam.“ Hic quum negetur, Spiritum S. substantia sua accedere ad pios et recedere ab impiis, et quum affirmetur, Spiritum S. solum gratia sua accedere et recedere, unionis mysticae doctrina revera ab Aeg. Hunnio refutatur.

Jam ex eis, quae hoc loco attuli, manifestum esse puto, unionem mysticam per totum XVI saeculum, cuius praecipuos ecclesiae lutheranae doctores examinavimus, a nemine cognitam esse, nullam eius tum exstitisse doctrinam.

§. 4.

De Huttero, Dieterico, Gerhardo.

Jam accedimus ad tres spectatissimos saeculi XVII. initio florentes ecclesiae lutheranae doctores, quorum scripta diu maximi aestimabantur, et de quorum orthodoxia nemo lutheranus dubitabat, dico Leonhardum Hutterum, professorem theologiae Wittebergensem († 1616), cuius est „compendium „locorum theologicorum etc. Witteb. 1610“ et post eius mortem editi „loci theologici ex sacris literis diligenter eruti. Witteb. „1619“, et Cunradum Dietericum, professorem Marburgensem, postea superintendentem et directorem gymnasii Ulmensis († 1639), qui scripsit „institutiones catecheticas deprom„ptas e B. Lutheri catechesi“, cuius libri prima editio anni 1613 est, quam editionem postea septendecim editiones secutae sunt, unde conjici potest, quanti aestimatae sint hoc saeculo Dieterici institutiones catecheticae*), et Joannem Gerhardum, professorem theologiae Jenensem († 1637), qui scripsit „locos communes theologicos...... Jenae. 1610—1625“**). et „harmoniam evangelistarum Chemnitio-Lyserianam. Jenae. „1627.“

Leonhardus Hutterus quidem in „compendii loc. „theol.“ ***) loco XIII, ubi de praedestinatione agit, pag. 144. ordinem salutis sive „consilium sive propositum divinae prae„destinationis“ profert, qui ordo octo distinctis gradibus absolvatur, qui sunt: „redemptio, vocatio, conversio, justi„ficatio, sanctificatio, conservatio in omnibus cala„mitatibus, finalis confirmatio, glorificatio.“ Uni-

*) Utor editione „B. Christiani Chemnitii notis illustrata. Lipsiae. 1692.“

**) Utor editione, quam „denuo edidit variisque annotationibus auxit Jo. Frid. Cotta. Tubingae. 1762.“

***) Utor editione anni 1666.

onis mysticae, quam si docuisset, Hutterus post justificationem posuisset, nusquam, ne in explicatione singulorum graduum quidem, mentio fit. In „locorum communium theologicorum“ artic. XXII, qui est de praedestinatione, pag. 781. eundem ordinem salutis, sed aliis verbis, sine unionis mysticae mentione descriptum invenimus. In locorum theologicorum loc. II, cap. II, ubi de unione duarum naturarum in Christo agitur, pag. 142. discernitur hic unionis duarum naturarum in Christo gradus a reliquis omnibus praesentiae modis, quibus Deus praesens creaturis adsit, ubi dicit Hutterus, universali praesentia Deum omnibus creaturis adesse essentialiter, eas sustentare, conservare, regere, gubernare; inhabitatione et sanctificatione autem Deum sanctis non modo essentialiter adesse, quomodo omnibus creaturis adsit, sed etiam iisdem gratiam suam impertire, quo sensu Petrus affirmet, sanctos reddi participes divinae naturae. 2. Pet. I, 4. Hic nil nisi eam inhabitationem Dei in sanctis doceri, quam jam Melanchthon et alii XVI. saeculi doctores docuerant, manifestum est; Hutterus igitur unionem mysticam nondum docuit.

Sed ne Cunradus Dietericus quidem. Is enim quum „institut. catech.“ pag. 427., ubi de persona Christi agitur, gradus enumeraverit divinae in creaturis praesentiae, quorum primum esse ait „praesentiam universalem, rerum scilicet gu„bernationis et conservationis“, secundum „praesentiam gratiae, „gratiosae scilicet inhabitationis fidelium in hac vita“, cui divisioni adjicit, gradus praesentiae non esse opponendos inter se, sed subordinandos, et semper gradus posteriores includere priores, ampliorem illorum graduum explicationem non profert.

Tertius denique eorum doctorum lutheranorum, qui initio XVII. saeculi floruerunt summaque auctoritate et apud aequales et apud posteriores aetate lutheranos usi sunt, Joannes Gerhardus, utrum unionem mysticam eodem modo, quo posteriores orthodoxi, docuerit necne, a nonnullis huius saeculi doctoribus in controversiam vocatur. Sunt enim, qui conten-

dant, unionem mysticam a Gerhardo doceri, sunt, qui hoc negent. Quamobrem locis eis, qui huc spectant, ex eius scriptis petitis atque consideratis ipsi judicabimus, utrum in docentibus unionem mysticam an in aspernantibus numeremus Gerhardum.

Anno 1610 Gerhardus primum locorum theologicorum suorum tomum scripsit, in cuius tom. I, loc. II, qui est de natura Dei, cap. XV, quo agitur de Dei omnipraesentia, §. 118. (pag. 129. edit. a Cotta curatae) Gerhardus de codicis sacri locis loquitur, ubi Deus descendere et venire dicitur, quos locos hoc modo interpretatur: „Quando Deus suam praesentiam „opere irae vel gratiae alicubi manifestat, scriptura dicit, ipsum „eo descendere, quum tamen propter essentiae infinitatem jam „ante ibidem fuerit praesens. Observandi ergo sunt distincti „gradus divinae praesentiae: Primus gradus est praesentia po„tentiae, per quam Deus omnia conservat et regit in coelo et „in terra, Hebr. I, 3., haec est praesentia generalis. Secundus „gradus est praesentia gratiae, per quam Deus in cordibus „credentium habitat ac novos motus in eis accendit, Joa. XIV, „23. 1 Cor. VI, 19. Tertius gradus est praesentia gloriae. . . . . .“ Deinde §. 119 (pag. 129 et 130.) addit, quo modo singulos praesentiae divinae gradus distinctos velit. Dicit enim: „Ob„servandum vero, omnes illos gradus praesentiae Dei non essen„tialiter sed effectibus tantum discerni. Non enim alia Dei „essentia in creaturis, alia in beatis hominibus et angelis, alia „in renatis, nec divina essentia ex parte creaturis, ex parte „angelis, ex parte renatis praesens est, sed una eademque sua „essentia tota et indivisa Deus ubique praesens; discrimen mul„tiplicis praesentiae in sola effectuum diversitate con„sistit, ut multiplex illa praesentia nihil aliud sit, quam varia „unius eiusdemque omnipraesentis naturae operatio. Ergo „quot sunt operationum divinarum species, tot praesentiae Dei „gradus constitui possunt. . . . .“ Hic quum dicatur, multiplicem illam praesentiam, qua Deus singulis creaturis, renatis, beatis aliis alio modo praesens sit, nihil aliud esse, nisi variam

unius eiusdemque omnipraesentis naturae operationem essentia Dei una eademque tota et indivisa ubique praesente, hanc non esse unionis mysticae doctrinam manifestum est. Constat igitur, Gerhardum anno 1610 unionem mysticam non docuisse, quam doctrinam, quum eius ne mentionem quidem faciat, eo tempore nondum videtur cognovisse. Annis quindecim peractis et omnibus locis theologicis ad id tempus scriptis addidit Gerhardus primo locorum tomo „exegesin sive uberiorem „explicationem articulorum de scriptura sacra, de Deo, de „persona Christi" anno 1625. In huius exegeseos quibusdam locis de unione mystica Gerhardus loquitur, qui loci, quum Gerh. hic non dicat, se refutare hanc sententiam, ab eis, qui docent unionem mysticam, citantur, ut probetur, hanc doctrinam etiam a Gerhardo doceri. Exegeseos enim loc. II., qui est de natura Dei et attributis divinis, cap. VIII., sect. VIII., quae est de Dei immensitate, §. 188 (editionis a Cotta curatae tom. III., pag. 136 et 137) quaestionem esse dicit, „an speci„alis illa Dei in sanctis inhabitatio et propinquitas praeter „specialem operationem gratiosam etiam ipsius essentiae speci„alem approximationem inferat:" ad quam quaestionem hoc modo respondet: „Quidam negant hoc argumento persuasi: „qui per essentiam infinitus est, essentialiter ubique praesens, „a nulla re creata per essentiam suam localiter distans, is „quum sanctis specialiter praesens esse incipit, non potest per „essentialem quandam propinquitatem ipsis magis appropin„quare....... Quidam vero *τὸ ῥητὸν* sacrarum litterarum „arcte tenentes illud affirmant. Sacra enim scriptura sic lo„quitur: Deum ipsum ad pios venire, mansionem apud illos „facere, illis appropinquare, in illis habitare. Quamvis ergo „finitus noster intellectus non possit percipere, quomodo infi„nitus Deus essentia sua utpote immensa non distans a sanctis „speciali quadam essentiae approximatione ad ipsos veniat et „in illis habitare incipiat, tamen a littera minime discedendum „esse rati fide illud tenendum et complectendum esse existimant.

„Esse autem non tantum operationis, sed etiam ipsius essen-„tialis propinquitatis ratione discrimen statuendum inter gene-„ralem et specialem sive gratiosam Dei praesentiam. . . . . . .“ Quum igitur in primo locorum tomo anno 1610 scripto suam sententiam unioni mysticae contrariam protulerit, nunc anno 1625 addit ad priorem suam doctrinam hanc quorundam theologorum sententiam non dicens, utri ipse addictus sit, sed hunc in modum §. 188. finiens: „Nobis hic probatur illud „Chrysostomi homil. I. de incompr. Dei natura: Deum esse „ubique totumque esse in quavis parte orbis terrarum novi, „sed quemadmodum sit, nescio. Itemque illud eiusdem homil. „II. in epist. Hebr.: Quod ubique sit Deus scimus et dicimus, „quomodo autem ubique sit, intellectu non capimus.“ Quum igitur Gerhardus anno 1610 et tota orthodoxa lutherana ecclesia ad id tempus nondum docuerit unionem mysticam, et quum Gerhardus, qui anno 1610 nondum docuerat hanc doctrinam, anno 1625 eam priori suae doctrinae adjecerit, ex hac re concludere possumus, unionis mysticae doctrinam postea orthodoxam inter annum 1610 et 1625 in ecclesia lutherana ortam esse, quod etiam Joannes Musaeus Jenensis, de quo postea agetur, hisce causis permotus contendit. Quin etiam ex eo, quod Gerh., qui anno 1610 nondum cognoverat unionem mysticam, anno 1625 autem eam priori suae contrariae sententiae adjicit non dicens, utri sententiae ipse addictus sit, primo adspectu id concludere possimus, Gerhardo inter annum 1610 et 1625, quo temporis spatio hanc novam doctrinam cognoverit, in dubium venisse, utra sententia vera et recta sit, et hoc dubio permotum eum nec priorem nec novam doctrinam improbare, sed utramque non adjecto ipsius judicio proferre voluisse. Sed primo tantum adspectu ita videri potest; nam si alterum, quem nominavi, duobus annis post illam exegesin a Gerhardo editum librum, „harmoniam evangelistarum“ inspicimus, certe intelligimus, eum ad id tempus priorem suam sententiam, quam jam in primo locorum tomo anno 1610

protulerat, retinuisse. In harmon. evangelist. enim anno 1627 scriptae part. III, cap. 176, pag. 598. agit de loco Joa. XIV, 23: „veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus“, quem adventum Dei et Christi adventum invisibilem, spiritualem, mysticum vocat, qui non fiat quadam loci mutatione, quum Deus sit infinitus, *ἀπερίγραπτος*, ubique praesens, sed peculiarium effectuum demonstratione et Christum hic loqui more humano quadam *συγκαταβάσει.* Deinde cap. 178. pag. 961. de Spiritus S. adventu et missione Gerh. loquitur interpretans sacri codicis verbum, qui dicit, Spiritum S. venire: „Quum enim [Spiritus S. scil.] ratione suae essentiae „sit infinitus et omnipraesens, ... ideo ad homines venit non „locum mutando, sed praesentiam suam vel externo „quodam symbolo vel novo opere et effectu manifestando.“ Hisce ex Gerhardi harm. evang. petitis locis manifestum est, Gerhardum anno 1627 prorsus idem docuisse, quod jam anno 1610 docuerat, praesentiam Dei gratiosam apud sanctos, quam etiam aliquibus locis unionem mysticam vocat, non consistere in peculiari quadam essentiae Dei ad sanctos approximatione, non essentialiter a ceteris praesentiae divinae gradibus discerni, sed effectibus tantum, in sola effectuum diversitate discrimen multiplicis praesentiae consistere et humano more quadam *συγκαταβάσει* sacrum codicem loqui, quum dicat, Deum et Christum ad fideles venire, Spiritum S. venire, mitti etc. Quamquam igitur Gerh. aliquibus locis unionis mysticae nomine utitur, tamen non eodem sensu hoc fit, quo ab aliis lutheranis doctoribus apud posteriores orthodoxam unionem mysticam docentibus fieri solebat, sed sensu modo explicato unionis mysticae nomine usus est. Si autem in exegesi quorundam tomi I. articulorum utramque doctrinam et unionem mysticam et suam ipsius jam tomo I. explicatam doctrinam profert, non dijudicans utri doctrinae ipse addictus sit, hoc sine dubio hanc tantum ob rem fecit, quod jam primo tomo satis accurate explicaverat, quid ipse de hac re sentiret.

Nullo autem modo ex citata exegeseos loc. II. §. 188. concludi potest, quod a Quenstedtio et aliis approximationem substantiae divinae ad fideles docentibus concluditur, Gerhardum in exegesi unionis mysticae doctrinam praetulisse alteri doctrinae, cuius in eadem §. 188. mentio fit, quum ibi ne verbo quidem dicat, utri sententiae ipse addictus sit.

§. 5.

De controversia, quae fuit inter Giessenses et Tubingenses theologos.

Unionis mysticae doctrinam, quae medio XVII. saeculo orthodoxa erat, inter annos 1610 et 1625 ortam esse, inde cognoscitur, ut vidimus, quod Gerhardus, qui anno 1610 hanc doctrinam nondum noverat, anno 1625 eius mentionem facit: sed aliud etiam testimonium de origine huius doctrinae habemus, quo accuratius quam apud Gerhardum tempus definire possumus, quo haec doctrina orta sit.

Inde ab anno 1616 enim inter Giessenses et Tubingenses theologos de *κρύψει* et *κενώσει* fuit controversia, in qua Giessensium imprimis Balthasar Mentzerus et Justus Feurbornius, Tubingensium Theodorus Thummius scriptis decertarunt. In hac controversia etiam compluribus locis unionis mysticae mentio fit, quae doctrina a Feurbornio et Mentzero primum docetur, a Thummio refutatur. Observanda igitur nobis modo ea in hac controversia scripta, in quibus etiam de unionis mysticae doctrina agitur.

Balthasar enim Mentzerus, professor theologiae primum Marburgensis, tum inde ab anno 1607 Giessensis, denique inde ab anno 1624 Marburgum reversus, ubi anno 1627 mortuus est, ad epistolam Thummii respondit die VI. Februarii anni 1621, quae epistola Mentzeri invenitur in eius „necessaria „et justa defensione contra injustas criminationes D. Lucae

„Osiandri, D. Melchioris Nicolai et D. Theodori Thummii", pag. 1278—1295. tom. II. Balth. Mentzeri „operum latinorum „ab ipso dum viveret diversis temporibus seorsim editorum, „nunc vero ecclesiae bono in unum corpus congestorum", quae edidit auctoris filius Balth. Mentzerus. Francof. 1669. Eodem anno 1621, quo Mentzerus epistolam suam responsoriam ad Thummium scripsit, collega Mentzeri, Justus Feurbornius, professor theologiae Marburgensis et Giessensis († 1656), scripsit „σκιαγραφίας theologicae dissertationes novem de di- „vinae et infinitae Christo Jesu juxta humanam naturam in „ipso primo unionis hypostaticae momento vere et realiter „communicatae, majestatis et gloriae etc. in statu humiliationis „particulari, in statu exaltationis autem universali exsertione et „usurpatione." In huius libri, qui mihi non ad manus est, dissertatione octava de unione mystica loquitur, ut refert Musaeus („Ausführliche Erklärung der Jenischen Theologen. 1677", pag. 613). Ad haec duo scripta, Mentzeri epistolam responsoriam die VI. Febr. 1621 scriptam et Feurbornii opus sciagraphicum eodem anno scriptum, Theodorus Thummius, professor theologiae Tubingensis († 1630), anno 1623 respondit in libro, cui hic titulus inscribitur: „*Ταπεινωσιγραφία* „sacra, hoc est repetitio sanae et orthodoxae doctrinae de hu- „miliatione Christi θεανθρώπου. Tubingae 1623", ad quem librum iterum respondit Feurbornius anno 1627 in sua „κενωσιγραφίᾳ χριστολογικῇ, in qua in trinunius Dei hono- „rem ...... clarissime explicatur, quod Jesus Christus ut „homo plenario seu universali et incessabili divinae maje- „statis ...... usu ...... in suae praegressae humiliationis „statu libere fuerit vacuatus ...... Marpurgi 1627." Praeter haec horum auctorum scripta jam huc spectant Feurbornii, „disputatio de divina speciali et gratiosa in ecclesia praesentia. „1626", disputatio XXIV. tom. V. disputationum Marpurgensium, quae in Musaei Ausführl. Erklär. citatur, mihi non ad manus est, et eiusdem „opera theologica hactenus sparsim

„extantia, in unum volumen ...... congesta. Giessae 1671" *); deinde Mentzeri supra citatae „necessariae et justae defen- „sionis" part. IV., quae est „trias disputationum ad contro- „versiam Tubingensem pertinentium" disput. III., quae invenitur in „oper. latin." tom. II., pag. 1380—1414., anno 1621 habita, et eiusdem oper. lat. tom. II. part. V., quae est „mo- „desta responsio duabus disputationibus inclusa ad librum D. „Lucae Osiandri maledicum et schola theologica indignum" disput. II. (oper. lat. tom. II., pag. 1461—1499.); denique Thummii „impietas Wigeliana, hoc est necessaria admonitio „de centum et viginti erroribus novorum prophetarum coelestium, „quos a Valentino Wigelio nostra haec aetas dicere coepit „Wigelianos. Tubingae", cuius libri prima editio anni 1622 est **).

A Feurbornio igitur et Mentzero, ut jam diximus, unio mystica, quae ante hoc tempus nusquam apud lutheranos doctores invenitur, quaeque, ut ex Gerhardi scriptis cognovimus, inter annum 1610 et 1625 orta est, docetur, Thummius autem eam non modo refutat, verum etiam, quod alterum de huius doctrinae origine testimonium est, Feurbornii et Mentzeri de singulis praesentiae divinae modis doctrinam vocat „subtilem no- „vitatem et novam subtilitatem antehac ne quidem auditam", quo testimonio Thummii testimonium de doctrinae unionis mysticae origine ex Gerhardi scriptis petitum confirmatur et certissimum fit, id quod etiam Joannes Musaeus hisce testimoniis nisus pronuntiavit.

Prima autem unionis mysticae vestigia apud Feurbornium invenimus, qui in epistola ad lectorem data, Giessae die XXVIII. Aug., anno 1618 scripta, quam praeposuit primo fasciculo dissertationum theologicarum „de divina Christi, ut „homo est, apud creaturas omnipraesentia" agentium (oper.

---

*) Editio ab haeredibus Feurbornianis curata.

**) Mihi ad manus anni 1650 editio est.

theol. pag. 17 et 18), huius doctrinae mentionem facit, ubi dicit, divinam specialem apud homines credentes praesentiam esse substantialem Dei propinquitatem seu approximationem ad et apud credentes, sed non hanc solam, verum etiam Dei gratiosam et benignam curam, curationem, felicitationem, benedictionem, protectionem etc., qua explicatione sine dubio luculenter unionis mysticae doctrina profertur. Hoc autem quum prius testimonium, ab alio quopiam doceri unionem mysticam, nullum usquam reperiatur, jure possumus statuere, unionem mysticam primum a Feurbornio circa annum 1618 in lucem prolatam esse. Uberius et fusius de hac speciali Dei apud credentes praesentia Feurbornius in *κενωσιγραφίᾳ χριστολογικῇ* (sect. II., cap. VI., inde a quaestione V. usque ad IX., pag. 143 - 156.) agit. Nonnulla de hac re inveniuntur etiam in Feurbornii „syntagmatis primi sacrarum disquisitionum", part. III., dissert. XII. die I. Sept. 1641 habita, ubi loquitur de loco 1 Joa. II., 3 — 6. (oper. theol. pag. 1451 — 1456). Hisce scriptis hoc modo unionis mysticae doctrina tractatur.

Quamquam (*κενωσιγρ.* sect. II. cap. VI. pag. 143) rejicit errores horrendos, ut dicit, et penitus damnandos, vel quod alia esse dicatur Dei et *θεανθρώπου* Christi substantia prout aut generalis sit praesentia aut specialis, quum Dei et *θεανθρώπου* Christi substantia non nisi una et eadem sit neque ullo modo multiplex; vel quod statuatur, Deum et *θεάνθρωπον* Christum cum piis sic *οὐσιωδῶς καὶ σωματικῶς* uniri, ut ii fiant naturales et essentiales filii Dei, quod Weigelius cum sociis suis doceat: tamen (pag. 143 et 144.) affirmat, se „sentire, quod praesentia Dei et *θεανθρώπου* Christi specialis a „generali cunctisque creaturis communi differat non sola speciali „actione transeunte sed et insuper aliqua divina propinquitate „et conjunctione mystica", approximatione substantiali peculiari (oper. theol. pag. 17 et „dissert. de div. spec. et „gratiosa in ecclesia praesentia" teste Musaeo, Ausführl. Erkl. pag. 616), cuius modum nos neque satis intelligere, neque

satis exprimere in hac vita possimus. Quum enim sacer codex, Feurb. ait, praesentiam divinam specialem gratiosam disertis verbis a generali, quae cunctis omnino creaturis communis sit, Dei praesentia vere distinguat, et hanc specialem divinam approximationem solis piis competere dicat (2 Cor. XIII, 5. 2 Pet. I, 4): ab expressis Spiritus S. litteris, quibus usus sit in sacro codice et quibus contradicatur, si quis verbum approximandi sola operatione divina interpretari velit, nullo modo pro nostro arbitratu et lubitu licere nobis recedere, nisi ipse Spiritus S. nobis istius recessus suppeditet documenta, quod hic non fiat. Deinde verbo inhabitandi (1 Cor. III, 16. Rom. VIII, 11), quo nusquam in sacro codice praesentia Dei generalis, sed sola praesentia specialis peculiariter promissa designetur, nunquam solam operationem, sed semper substantialem et efficacem adessentiam significari. Substantialem autem propinquitatem, quae revera verbo inhabitandi comprehendatur, non esse generalem ex immensitate divina fluentem, cui modo operatio quaedam divina specialis in inhabitatione accedat, eo perspici dicit Feurb., quod praesupposita jam quidem et inclusa propinquitate generali tamen specialis quaedam propinquitas a generali vere distincta verbo inhabitandi in s. codice denotetur et specialiter promittatur, quae propinquitas divina specialis nobis sit incomprehensibilis. Quodsi quis neget, Deum deitate sua ulli creaturae quadam speciali et intima copula „praesentiorem“ esse posse, quam aliis sit, propter immutabilem substantiae divinae infinitatem et immensitatem, ei ad pie meditandum mysterium incarnationis filii Dei, in quo secundum Col. II., 9. tota deitatis plenitudo corporaliter inhabitet, proponendum esse. Inenarrabiliter enim propiori et arctiori nexu et intimiori vinculo τὸν λόγον adesse ipsius carni, quam ceteris omnibus creaturis salva tamen ipsius infinitate et immensitate. Christum autem, pergit Feurb., quum promittat, se cum suis futurum esse, praesentiam gratiosam seu unionem mysticam promittere, quae specialis substantialis pro-

pinquitas cum actione gratiosa conjuncta utriusque Christi naturae sit (*κενωσιγρ.* sect. II., cap. VI., pag. 144—151). Paucis igitur verbis unio mystica definitur: „Praesentia „gratiosa est peculiaris Spiritus S. non exclusis Deo „patre et filio ad nos approximatio et benigna in „nobis operatio“ (*κενωσιγρ.* sect. VII, cap. III, pag. 54). Sed huius unionis gratiosae neminem, ait Feurb., participem esse, nisi justificatum. „Quando autem“, pergit, „renati a „satana seducti verbum divinum observare cessant multisque „peccatis contra conscientiam admissis sese maculant, tum „quoque desinunt per hanc unionem mysticam esse in Deo „et *θεανθρώπῳ* Christo et hic in illis.“ Fit autem haec unio et servatur „per verbum Dei scriptum, lectum, praedicatum, „auditum, conservatum et per divina sacramenta secundum „ipsorum institutionem a nobis usurpata et per fidem, qua divi„nam misericordiam in Christo apprehendimus“ (Oper. theol. pag. 1453 et 1454). Usum denique consolatorium huius doctrinae hunc affert Feurb.: Quum enim ante lapsum fuissemus templa Spiritus S., imo totius S. S. Trinitatis, lapsu ipso et post illum redditos nos esse cloacas diaboli, quam magnam miseriam et calamitatem filium Dei pretiosissimo suo *λύτρῳ* sustulisse et nobis recuperavisse istud bonum: praesentiam igitur gratiosam fructum esse solius meriti Christi. Quare quum perspiciamus, Christi merito nos esse templa ipsius Dei, qui gratiose in nobis inhabitet, tum vivo nos repleri solamine praecipue in tristibus huius vitae casibus (*κενωσιγρ.* sect. II., cap. VI, pag. 152). Sed haec de Feurbornii unionis mysticae doctrina hactenus.

Feurbornii collega, Balthasar Mentzerus, docueritne unionem mysticam a Musaeo (Ausführl. Erkl. pag. 611.) in dubium vocatur, quae tamen eius dubitatio ambiguitate eorum modo locorum, quos ex epistola responsoria a Mentzero ad Thummium data petivit, non omnibus locis, ubi Mentzerus de Dei praesentia locutus est, nititur: nam illa quidem epistola

nusquam habet gratiosae Dei praesentiae ut unionis mysticae aperte pronuntiatam doctrinam; sed si ea, quae ibi protulit, cum aliis locis ex Mentzeri scriptis petitis comparabimus, tamen unionis mysticae doctrinam etiam a Mentzero probari et doceri concedemus.

In illa igitur epistola responsoria, qua sola usus est Musaeus ad explicandam Mentzeri doctrinam et in qua reperire non potuit unionem mysticam, Mentz. quum de aliis rebus, tum etiam de Dei omnipraesentia et singulis praesentiae divinae modis loquitur negans, omnipraesentiam Dei generalem seu primum praesentiae divinae gradum recte definiri a Thummio „nudam et solam adessentiam" Dei apud creaturas „ex im„mensitate divina fluentem" „sine actionis applicatione"; hanc enim definitionem non sufficere ad definiendum primum praesentiae divinae modum, praesentiam generalem, quum haec descriptio omnibus praesentiae divinae modis competat, non soli praesentiae generali. Adjiciendum igitur esse ad hanc praesentiam simplicem omnibus praesentiae modis competentem singularem modum cuiusque praesentiae divinae, ut ex praesentia simplici fiat praesentia modificata; dicendum igitur esse: Deum immensum, omnipotentem, sapientem, bonum adesse omnibus et singulis creaturis sapienter, omnipotenter, bene eas gubernando et conservando in statu suo naturali, quamdiu ipsi videatur, qui modus praesentiae primus sit, nempe generalis in regno potentiae. Deinde eundem Deum immensum, omnipotentem, sapientem, bonum adesse ecclesiae militanti, quam colligat, defendat, protegat, quae praesentia gratiosa sit seu modus praesentiae secundus, nempe specialis prior in regno gratiae. Deinde eundem Deum immensum, omnipotentem, sapientem, bonum adesse ecclesiae triumphanti in coelis, quam ornet gloria et beatitudine ineffabili, qui sit modus praesentiae specialis posterior sive praesentia gloriosa in regno gloriae. Si igitur a praesentia speciali modus sive operatio disjungatur, nullo modo, specialem

eam esse, probari posse (Oper. lat. tom. II., pag. 1284 et 1285, 1288 et 1289). Haec explicatio, si sola observatur, quod a Musaeo factum est, nihil inde potest concludi, nisi specialem Dei praesentiam a generali solum operatione divina alia in omnibus creaturis, alia in ecclesia et fidelibus distingui, quae sententia contraria est unionis mysticae doctrinae praeter operationem specialem etiam specialem substantiae divinae appropinquationem statuenti. Ac ne in illa quidem disputatione, quae eodem anno 1621 habita est, quo scripta est epistola responsoria, qua in disputatione etiam de hac praesentia Dei gratiosa agit, fusiorem atque luculentum sententiae suae explicationem Mentz. profert, sed modo praesentiam Dei gratiosam aeque dicit admittere ipsam propinquitatem sive adessentiam atque gratiam seu gratiosam operationem, nec minus specialem Dei praesentiam substantialem esse quam universalem; non dicit, specialem praesentiam, quod ad substantiam attineat, arctiorem esse, quam universalem, sed id solum affirmat, praesentiam gratiosam neque in sola adessentia sine gratia neque in sola gratia seu gratiosa operatione sine adessentia consistere (oper. lat. tom. II, pag. 1385 et 1386.): hoc autem ab omnibus, qui affirmant, Deum immensum et infinitum substantia sua esse, affirmatur et, si haec sola, quae adhuc allata sunt, de praesentia Dei gratiosa testimonia haberemus, prorsus verum esset, quod Musaeus censet, nec quisquam dicere posset, unionem mysticam a Mentzero doceri. Alio autem loco luculentius sententiam suam de hac re explicat, in „necessariae et justae defensionis“ suae part. V. disput. II. adversus Lucae Osiandri librum habita. Hic enim Mentz. docet: id, quod solis piis promittatur, non esse commune omnibus creaturis, praesentiam specialem autem, gratiosam Dei et Christi inhabitationem solis piis promitti; nec dici posse, benignam operationem speciale illud esse praesentiae, et hanc solam promitti piis, non id, quod universale sit, praesentiam ipsam ex immensitate fluentem, substantialem propinquitatem; sed dicendum esse, ipsam

benignam inhabitationem promitti, quae in substantiali propinquitate cum benigna operatione conjuncta consistat. Clarius hoc intelligi, dicit Mentz., ex opposita negatione: quando enim Deus gratiosam suam praesentiam peccantibus contra conscientiam subtrahat et ab eis recedat, hac re non modo benignam operationem, verum etiam ipsam inhabitationem in eorum cordibus negari. Falsum igitur etiam esse, si quis dicat, Spiritum S. dari seu donari tantum ratione donorum, nec probari posse sententiam eorum, qui ab ipso dissentientes dicant; „specialem Dei praesentiam non esse nisi Dei jam antea uni„versaliter praesentis ad speciales creaturas determinatam vel „affectionem vel operationem“, ita enim specialem Dei praesentiam nihil esse nisi specialem operationem (Oper. lat. tom. II. pag. 1484. 1487). Hac in explicatione quum dictum sit, fideles praesentia Dei speciali non solum donis et operationibus gratiosis, sed etiam ipsa praesentia, substantiali propinquitate donari, et quum, quando Deus a peccantibus recedat, non tantum benigna illa operatio, verum etiam ipsa inhabitatio tolli dicatur, dubitari jam non potest, quin hic de orthodoxa unione mystica agatur, quod ex superioribus illis locis, ubi non satis accurate explicaverat Mentz. doctrinam suam, perspici non potuit. Hac unione speciali Deus trinunus inclusa humana Christi natura renatis solis unitur, ut dicit Mentz.; „quando autem homo renatus in hac vita peccat contra con„scientiam et sic Deum deserit et ab eo discedit, tunc peccata „inter Deum et ipsum dividunt et Deus ab homine recedit, „h. e. gratiose in eo habitare desinit, quia templum eius pro„fanavit“ (Oper. lat. tom. II, pag. 1469 et 1484). Haec de Mentzeri doctrina sufficiant.

Princeps adversariorum Mentzeri et Feurbornii in certamine inter Giessenses et Tubingenses theologos orto fuit Theodorus Thummius, theologus Tubingensis, qui etiam doctrinam unionis mysticae refutat in „ταπεινωσιγραφίᾳ sacra.“ Nihilominus posteriores lutherani doctores unionem mysticam

docentes ut Quenstedtius Thummii scriptum, cui titulus est: „Impietas Wigeliana", pro testimonio afferunt, unionem mysticam ab eo probari. Sed prorsus injuria. Nam ex centum et viginti erroribus Wigelianis in hoc libro tractatis ad hanc nostram rem pertinent errores LXI., LXII., LXIII., LXIV., quibus de Weigelii doctrina de unione essentiali hominum cum Deo et de justificatione hac unione perfecta agitur, et fidelium cum Christo unio hoc modo definitur: „Communio „nostri cum Christo est arctissima conjunctio cum ipso et tota „adoranda Trinitate inclusive per verbum et sacramenta, ut „nos vivificae suae virtutis redditi participes idonei simus ad „inserviendum Deo et proximo ad superanda pericula et extin„guenda tela nequissimi" (pag. 140). Nec in hac definitione, nec in addita huius definitionis explicatione communio fidelium cum Deo dicitur in appropinquatione substantiali consistere, quin etiam clarissimis et nullo modo ambiguis verbis reprobatur haec sententia in altero Thummii libro, „ταπεινωσιγραφίᾳ „sacra", quam scripsit anno 1623, i. e. proximo post „impie„tatem Wigelianam" primum editam. In hoc enim libro Mentzeri et Feurbornii doctrinam de singulis praesentiae divinae modis prolatam „subtilem novitatem et novam subtilitatem „antehac ne quidem auditam" appellat suam ipsius de ea re sententiam his verbis pronuntians: „me equidem quod attinet, „firmiter credo, hanc esse simplicem et immotam veritatem, „divinis litteris, orthodoxae antiquitati sobriaeque rationi con„gruentem, quando dicitur, quod Deus per immensitatem pro„pinquitate substantiali omnibus creaturis praesens per omni„potentiam omnia sustentet et conservet, per bonitatem seu „opulentiam omnia foecundet et nutriat, per sapientiam omnia „disponat et gubernet, per misericordiam peccatores absolvat, „per justitiam judicet et damnet etc., adeo ut una numero „propinquitas Dei substantialis sit, quae variis idio„matum reliquorum agendi modis limitetur, re„stringatur et determinetur" (*Ταπεινωσιγρ.* pag. 181

et 182). Peculiarem igitur propinquitatem substantialem cum qualibet operatione divina generali, gratiosa etc. conjunctam esse, haud dubie rejicitur. His omnibus confirmatur, id quod ex Gerhardi scriptis conclusimus, unionem mysticam tunc prorsus novam doctrinam ad id tempus nondum auditam fuisse; et Thummius originem doctrinae Giessensibus theologis Feurbornio et Mentzero tribuit, qua doctrina orthodoxae veritati insidias strui putat, ita ut, quum his diversis propinquitatibus substantialibus a Giessensibus inventis corrupta sit praesentiae divinae recta definitio, postmodum futurum sit, ut ex sic corrupta definitione praesentiae divinae negetur Christi hominis in statu humiliationis omnipraesentia (*ταπειν.* pag. 187), quae tamen criminatio Giessensibus oblata nimis mihi gravis atque honestis viris, quales dicuntur fuisse Mentzerus et Feurbornius, videtur indigna.

Alius Tubingensis professor theologiae huius aetatis, Matthias Hafenrefferus († 1619), qui scripsit „locos theologicos certa methodo ac ratione in tres libros tributos. Tubingae 1600" *), unionis mysticae mentionem nusquam facit.

§. 6.

De Brochmando.

Anno 1624 theologi electorales Saxonici „solida verboque „Dei et libro concordiae christianae congrua decisione. . . . . " a Matth. Hoë ab Hoënegg edita in controversia Giessensium theologorum et Tubingensium ad Giessensium partes accesserunt, in qua „decisione solida" etiam Giessensium doctrina unionis mysticae recepta est. Quum autem theologorum Saxonicorum auctoritas maximi tunc in ecclesia lutherana formulam

*) „Quarta cura ab auctore recogniti et prioribus locupletiores, Witteb. 1612", mihi ad manus sunt.

concordiae agnoscente aestimaretur, sequentes theologi, qui haud dubie orthodoxi haberi voluerunt, hanc doctrinam unionis mysticae a Saxonicis theologis receptam et ipsi receperunt et in scholis et scriptis suis, quin etiam in concionibus protulerunt, unde factum est, ut inde ab hoc tempore, quo Saxonici theologi ad Giessensium partes accesserunt, unionis mysticae ut appropinquationis substantiae divinae ad fideles doctrina in orthodoxis lutheranae ecclesiae doctrinis numeraretur, quam singuli doctores affirmarent inde ab initio ecclesiae lutheranae, quin etiam inde ab initio ecclesiae christianae semper doctam esse, et quam locis ex priorum orthodoxorum doctorum scriptis petitis quam maxime confirmare studerent.

Quare etiam apud Casparum Erasmum Brochmandum, theologiae professorem Hafniensem († 1652), qui scripsit „universae theologiae systema. Hafniae 1633“, in quo libro praecipue Hutteri, Gerhardi, Mentzeri theologiam in doctrina lutherana tractanda secutus est, unionem mysticam invenimus*). In ordine salutis, de quo in tom. II, artic. XXI—XXIV agit, cuius singuli gradus sunt conversio, justificatio, regeneratio, renovatio seu sanctificatio, unioni cum Christo, quo nomine eius unio mystica appellatur, Brochm. locum singularem nondum dedit, sed tantum, ubi de regeneratione agit, eius mentionem facit dicens, regenerationem verissimo sensu spiritualem e Deo nativitatem esse, quae potissimum consistat in unione fidelium cum Christo (tom. II, pag. 191 et 192).

Articuli XXVI—XXIX simul tractantur, quasi uno articulo, quorum articulorum cap. IV, artic. XXVII est, „quo „religionis christianae articulus de fidelium cum Christo „unione strictim explicatur“ (tom. II, pag. 304—307). Sed ibi non cum Christo solo uniri fideles, docet Brochm., verum cum tota S. S. Trinitate; nomen autem unionis cum

---

*) Utor editione Francof. ad Moen. anno 1658 edita.

Christo ex eis sacri codicis dictis petitum esse, quibus haec Dei et Christi cum fidelibus unio describatur, qualia sint Joa. XVII, 11. 21. Rom. XII, 5. Gal. III, 28. Aliis etiam modis hanc unionem nominari posse ex sacri codicis dictis: vel desponsationem fidelium cum Christo ex Hos. II, 19 et 20, vel mysticum Christi et ecclesiae conjugium ex Eph. V, 24 et 25, vel mansionem Dei apud homines ex Joa. XIV, 23, Eph. II, 22, vel gratiosam apud fideles praesentiam ex Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20, vel membrorum et capitis ex Eph. I, 22 et 23, vel aedificii vivi et fundamenti immoti ex 1 Pet. II, 4 et 5, vel vitis et palmitum ex Joa. XV, 1 et 2 et 3, conjunctionem; unionis mysticae nomine non utitur Brochm., quoniam sacri codicis dictis hoc nomen non confirmatur. Haec fidelium cum Christo unio media est trium Dei cum hominibus unionum, ut dicit Brochm.: „prima enim [unio scil.] est generalis, quae „in eo consistit, quod in Deo omnes simus vivamus et move„amur, Jerem. XXIII, 24. Act. XVII, 28; secunda est spiri„tualis et quidem huius vitae, qua credentes in unum cum „Deo et Christo coalescunt spiritum, Joa. XVII, 20 et 21; „tertia itidem est spiritualis, sed tandem post hanc vitam con„tingit et in eo consistit, quod Deus sit omnia in omnibus, „1 Cor. XV, 28“ (tom. II, pag. 304). Definitur autem haec unio fidelium cum Christo a Brochmando hoc modo: „Unio „fidelium cum Christo est admiranda et arctissima „universumque naturae ordinem supergressa con„junctio, qua peccatores quidem sed fideles per „verbi auditionem, sacramentorum usurpationem, „veram fidem et Dei Spiritum insiti Christo et cum „ipso unum facti unum fiunt cum Deo atque ita in „communionem mortis et vitae Christi admissi vi„tam obtinent aeternam“ (tom. II, pag. 305). Hac definitione nondum quidem aperte dicitur unio mystica huius unionis fidelium cum Deo nomine designari, quippe quum, etiamsi arctissimam hanc unionem fidelium cum Christo esse

profiteatur Brochm., tamen non dicat, substantiam utriusque uniendae partis hac unione arctius quam primo unionis Dei cum hominibus modo, unione generali, de qua supra mentio fuit, conjungi; quare dubitari posset, num hic revera de unione mystica orthodoxa agat, nisi alius eiusdem capitis locus certum haberet testimonium, ex quo perspicitur, orthodoxam unionem mysticam hic doceri. Ubi enim adversariorum, Osiandristarum, Schwenckfeldianorum, Weigelianorum, Pontificiorum, Calvinianorum, de hac re doctrinae ab unionis mysticae doctrina dissentientes reprobantur, ad quaestionem, qualis sit fidelium cum Christo unio, respondetur, ex sacri codicis verbis apparere, unionem fidelium cum Christo substantialem esse (Joa. XIV, 23. 2 Pet. I, 4), quam substantialem Dei et Christi in fidelibus inhabitationem sacer codex tanquam singulare fidelium privilegium vocet (Joa. XIV, 17. Eph. II, 12. 2 Cor. XIII, 5, 6) (tom. II, pag. 307), quibus verbis indicatur, Deum et Christum, etiam quod ad substantiam attineat, alio modo in fidelibus esse atque in omnibus creaturis; hanc autem substantialem conjunctionem non confundendam esse cum ea, quam Weigeliani unionem essentialem vocant, multis verbis explicat. Non enim, ut una substantia sint, duas substantias uniendas uniri, quae sit Weigelianorum sententia, sed hanc unionem essentialem fieri utraque substantia integra manente. Quinimo non tantum S. S. Trinitatem, sed etiam humanam Christi naturam, quod Paulus doceat Eph. V, 30, „cum homine peccatore quidem sed tamen fideli et converso Christumque pro „salvatore agnoscente atque ab iniquitate recedente" substantialiter ut partes uniendas seu unionis materiam conjungi, quae unio quomodo fiat, nec mentem capere, nec linguam eloqui posse (tom. II, pag. 305 et 307). Effici autem hanc unionem, affirmat Brochm., non ab homine fideli, sed solum a Deo trinuno administrantibus autem prophetis et apostolis omnibusque mysteriorum Dei dispensatoribus sinceris ecclesiam sponsam Christo tanquam unico sponso adducentibus ex Eph.

IV, 11, 12, 13. 2 Cor. XI, 2. (tom. II, pag. 304 et 305). Perdi posse hanc unionem, quod ab omnibus eam docentibus affirmatur, Brochm. luculenter non dicit, sed quin haec eius sententia fuerit, dubitari non potest, quum salutem et beatitudinem aeternam, quae fructus huius unionis fidelium cum Christo sint, solis eis, qui maneant in filio et patre, servantibus igitur sibi hanc unionem, tribuat (tom. II, pag. 305); unde concludendum est, non deesse, qui, quamquam huius unionis participes facti sint, tamen in ea non maneant eamque perdant. Haec de Brochmandi unione fidelium cum Christo, quae prorsus eadem est atque orthodoxorum unio fidelium mystica, ut ex eis, quae attuli, cuivis perspicuum erit.

§. 7.

De Hülsemanno et Georgio Calixto.

In ea controversia, quam inde ab initio saeculi XVII theologi orthodoxi formulam concordiae ut librum symbolicum agnoscentes cum theologis academiae Helmstadiensis formulam concordiae non agnoscentibus et prae ceteris cum Georgio Calixto, professore theologiae Helmstadiensi († 1656), habuerunt, quae controversia syncretistica vocatur, etiam de unionis mysticae doctrina decertabatur, quum haec doctrina hac aetate orthodoxa facta et a plerisque formulam concordiae sequentibus recepta a Georgio Calixto refutaretur. Ille enim jam in „epitome sua theologiae moralis“ anno 1634 primum edita de hac re locutus erat atque eam reprobaverat paucis verbis. Postea vero in controversia syncretistica, quum Joannes Hülsemannus, professor theologiae Lipsiensis († 1661), qui jam in „breviario theologico exhibente praecipuas fidei „controversias, quae hodie inter christianos agitantur. Vitemb. „1640“ et in amplificato breviario, cui titulus inscribitur: „Extensio breviarii theologici exhibentis praecipuas et recentiores

„christianae fidei controversias. Lips. 1647“, suam unionis mysticae doctrinam explicaverat, adversus Calixtum edidisset librum anno 1650 scriptum, cui titulus est: „Muster und Ausbund calixtinischer guter Werke, welche Georg Calixtus in „der sogenannten neulich durch den Druck ausgesprengten Verantwortung zu Bezeigung seiner Gottseligkeit hat sehen lassen,“ Calixtus respondit anno 1651 in sua „Antwort auf D. Johannis „Hülsemanni meisterliches Muster“ una cum eiusdem „Widerlegung der unchristlichen und unbilligen Verläumdungen, damit „ihn D. Jac. Weller ...... zu beschmitzen sich gelüsten lassen“, edita, in qua responsione ad Hülsemannum scripta accuratius et fusius unionis mysticae doctrinam refutavit; sed ad hanc quoque responsionem Hülsem. respondit eo libro, cui inscribitur titulus: „Calixtinischer Gewissenswurm, aus seinen wider „die evangelische von ihm selbst eidlich beschworene aber schändlich „verlassene und verlästerte Wahrheit in teutsch und lateinischer „Sprache ausgelassenen Schriften, sonderlich aus der Dedicationsschrift an seine genannte Widerlegung, Verantwortung und „Antwort entdeckt und erwiesen. Leipzig 1654.“ Quid igitur in his libris Calixtus et Hülsemannus de unione mystica docuerint, jam videamus.

Apud Joannem Hülsemannum primum, ut videtur, unio mystica certum locum in ordine salutis obtinet. Singuli enim ordinis salutis gradus Hülsemanno hi sunt: vocatio redemptorum, conversio per poenitentiam et baptismum, vocatorum justificatio per fidem, renovatio et bona opera, confirmatio et conservatio per sacram coenam, unio justificatorum cum Christo eorumque perseverantia, fidelium perseverantium praedestinatio ad vitam aeternam, glorificatio fidelium.

Unio igitur justificatorum cum Christo sextus inter octo ordinis salutis gradus est, de quo agitur „extensionis „breviarii“ cap. XIV. (editionis Heilbronnae anno 1667 editae pag. 360—396) et „Calixtin. Gewissenswurm“ cap. VIII. et IX.

His locis hoc modo de unione cum Deo et Christo agit Hülsem. Dicit, eam esse effectum gratiosarum Dei actionum in homine instrumentis gratiae, verbo et sacramentis productum, sed cuius modus exacte sciri a mortalibus non possit. „Uniri enim sub„stantiam hominis fidelis cum substantia totius S. S. Trinitatis „per juncturam substantiae ad substantiam sine extensione aut „contractione essentiae divinae aut humanae sola modi varia„tione, qui pro benevola voluntate Dei diversus est, tum in „hac, tum in aeterna vita. Joa. XIV, 23. XV, 26.“ In his enim sacri codicis locis agi de Christi discipulis jam antea regenitis, in quibus, quum jam regenerati sint, jam antea habitet Spiritus S. essentia sua et donis suis: sed quamquam hoc ita sit, tamen dici Deum et Spiritum S. venturum esse, quod fiat tam essentiae novo approximandi modo, quam novorum donorum communicatione (Extens. pag. 360 et 361). Hac explicatione duo dicta sunt: et hanc unionem justificatorum cum Deo trinuno orthodoxam unionem mysticam esse, quamquam Hülsem. hoc nomine postea ab omnibus usurpato non utitur, quippe quum in ea Dei et hominis inter se uniendorum substantiae novo modo altera alteri approximent: et regenitos huius unionis participes, quum in fide perseverent, in hac unione crescere, quod eo perspicitur, quod discipulis Christi jam regenitis haec unio a Christo promittitur. Christi autem, addit, non solam divinam, sed etiam humanam naturam cum fidelibus jungi substantiae eius ad hominis fidelis substantiam peculiari quadam approximatione, quae eiusmodi sit, ut in hac unione substantia totius S. S. Trinitatis inclusa Christi humana natura cum substantia justificati hominis uniatur. Distinguitur autem haec unio primum ab ea unione, quae a Weigelianis profertur, quam vocant essentialem propter uniendi modum, quem talem esse dicunt, qualis est surculi, qui coalescit cum trunco in unam numero essentiam arboris; hanc enim unionem neque commutatione fieri essentiae divinae cum nostra, neque eo, quod nostra essentia divinae essentiae particeps fiat (Ex-

tens. pag. 360 et 361 et 389). Monet igitur etiam alio loco Hülsem. *), abstinendum esse quam maxime ab usu nominis adjectivi „substantialis“ et adverbii „substantialiter“, quando unio fidelium cum Christo describatur, quum facile fieri possit, ut, qui haec audiat, non ea, quae unienda sint, sed modum uniendi describi putet, quo facto haec unio fidelium cum Christo cum Weigelianorum unione confundatur, qua duae, Dei et hominis, substantiae ita uniantur, ut una reddatur substantia. Multa de discrimine, quod inter unionem fidelium cum Christo et Weigelianorum unionem est, Hülsem. disseruit in sui Calixtin. Gewissensw. cap. VIII. et IX. Calixtus enim Weigelianismi eum accusaverat, sed injuria, dicens, a Weigelio nil nisi hanc Hülsemanni unionem, quam novitatem Hülsemannianam vocasse dicitur, doceri, nec usquam a Weigelio dictum esse, hac unione, quam vocat essentialem, substantias uniendas ita uniri, ut fiant una substantia. Multis autem ex Weigelii scriptis locis accitis, quorum ipsi jam prius nonnullos accivimus, Hülsem. octavo illo capite sui Calixtin. Gewissensw. hoc probavit, fidelium cum Christo unionem aliam esse atque Weigelii unionem essentialem. Deinde etiam unionem fidelium cum Christo a communi illa inter omnes homines et Deum intercedente unione, quae unio generalis vocatur, distinguit, quum haec ad omnes homines pertineat, quin etiam ad omnes creaturas, illa ad solos homines justificatos: et quemadmodum Dei in creaturis praesentia non in sola adessentia consistat, verum in adessentia cum operatione conjuncta, item ne hanc quidem Dei et fidelium unitionem nihil esse putat nisi substantiae divinae in substantia hominis adessentiam, nec eius fundamentum aut immensitatem esse Dei aut omnipraesentiam eius generalem, sed specialem et gratuitam praesentiam et inhabitationem Dei in templo suo, qua augeantur dona gratiae interiore quodam modo (Extens. pag. 361, 368, 369). Instru-

*) Teste Quenstedtio, theol. didact. — polem. tom. III, pag. 631.

menta autem, quibus fideli haec unio applicetur, partim Dei verbum et sacramenta esse, dicit Hülsem., partim hominis fidem (Extens. pag. 367 et 370). „Finem et effectum" denique huius unionis esse „imprimis certificationem fidelis in cala- „mitate constituti de perpetua assistentia, influentia et effectibus „Dei eiusque gratiae et favoris" crescentis una cum fide crescente, deinde „conservationem in statu gratiae et certam „fiduciam de secutura gloria, denique unionem fidelium inter „sese in vera fide et sincera caritate et studium conservandi „hanc unionem" seu perseverandi in hac unione. Ut autem homines conserventur et perseverent in hac unione cum Deo „Deum mediis rejicibilibus, revera saepe rejectis" uti, atque ita „perseverantiam in regenitis esse resistibilem, etsi in electis „sit infallibilis", quamquam et electos ex unione cum Deo totaliter excidere posse, „ut ex amicis Dei hostes Dei fiant", sed eosdem rursus ex inimicis Dei in eius amicitiam recipi, renatos vero quosdam etiam finaliter ex gratia et ex hac unione cum Deo excidere posse. Perdi autem unionem cum Deo, affirmat Hülsem., et dirumpi eam operibus carnis et tamdiu solum eam manere, quamdiu fides renati maneat (Extens. pag. 371 – 373, 378, 381 et 382. Calixtin. Gewissenswurm pag. 1042).

Hanc doctrinam unionis hominis fidelis cum Christo non solum in scriptis suis theologicis et docens theologiam ex cathedra protulit Hülsem., quin etiam testimonium a Calixto nobis traditum habemus, eum etiam hac doctrina concionantem usum esse. Protulit enim hanc doctrinam in concione funebri, quam habuit D. Guilelmo Lysero, theologo Wittebergensi, anno 1650*).

Hülsemanni adversarius vehementissimis ab illo contumeliis vexatus Georgius Calixtus fuit, princeps certe inter theologos Helmstadienses, qui etiam ab Hülsemanni unionis mysticae

*) Teste Calixto, Antwort auf D. J. Hülsem., num. 69.

doctrina maxime abhorruit. Jam „epitomes theol. moral.“ suae anno 1634 primum editae pag. 14 huius rei mentionem facit his verbis: „Non est autem in nobis Spiritus S. nisi per „donum aliquod suum, quod in nobis efficiat“, quibus verbis non negat praesentiam generalem, qua Spiritus S. propter substantiam suam infinitam in omnibus creaturis est, ut ipse in sua „Antwort auf D. J. Hülsem. meisterl. Muster“ num. 91 accurate explicat, sed id modo dicit, inhabitationem Spiritus S. gratiosam, quae solis fidelibus competat, non in praesentia speciali substantiae divinae infinitae, verum in solis operationibus specialibus consistere, quas in nobis efficiat. Uberius et fusius deinde unionis mysticae doctrinam Calixtus refutat in libro anno 1651 edito, cui titulus inscribitur: „Antwort auf „D. Joh. Hülsemanni meisterliches Muster“, quam refutationem inde a num. 63 usque ad num. 103 profert. Confundit hic, mea quidem sententia, ut jam supra dixi, per errorem Hülsemanni unionem cum Weigelianismo negans, ab ullo unquam nisi a Weigelio et eiusmodi fanaticis hanc doctrinam prolatam esse, quam nunc proferat Hülsem. (Antw. num. 66). Imprimis autem huius novae doctrinae illud negat posse intelligi, substantiam Dei trinunius infinitam aliis hominibus propiorem esse quam aliis, quod solum in rebus finitis accidere posse: infinitatem enim substantiae non admittere appropinquandi notionem. Compluribus deinde testimoniis et ex antiquorum patrum et ex priorum ecclesiae evangelicae doctorum scriptis petitis ostendit, ne ab his quidem appropinquationem talem substantiae divinae ad fidelium substantiam doceri. Rejicitur deinde etiam Hülsemanni sententia, humanam Christi naturam etiam extra sacrae coenae sacramentum cum fidelibus substantialiter conjungi. Quin enim in sacrae coenae usu communio carnis et sanguinis Christi supernaturali et incomprehensibili modo cum fidelibus fiat, dubitari non posse, quum claris Christi hoc sacramentum instituentis verbis doceatur, sed extra sacramentum sacrae coenae hoc fieri posse negat. Non enim unione

substantiarum fideles membra corporis Christi fieri, sed sola fide spiritualiter id accidere et Christum eorum caput fieri, a Christo capite eos accipere vires et virtutes spirituales, sic ut palmites etiam succum ex vite accipiant. Nec, quia Christus imagine vitis et palmitum ad describendam suam cum fidelibus conjunctionem utatur, inde concludendum esse, quod fecit Hülsem., quum vitis et palmites corporaliter conjuncti sint, ideo etiam fidelium corpora cum humana natura et corpore Christi conjuncta esse (Antw. num. 67, 68, 70). Videtur autem Hülsemanni unionis doctrina Calixto nequaquam aequo animo ferenda, sed perniciosissima esse vero Christianismo. Doceri enim ait ab Hülsemanno, durationem et continuitatem huius unionis efficere, ut ii homines, qui huius unionis participes facti sint, in fide permaneant et perseverent, quam fidem Hülsemanni manere, etiamsi aliquamdiu interrumpatur, dummodo sub finem vitae revertatur, unde consequi, ut homini fideli et renato, etiamsi in peccata adversus conscientiam commissa inciderit inque eis decem vel viginti vel triginta annos remaneat et perseveret, dummodo sub finem vitae suae se convertat, tamen perseverantia in fide et bonis operibus tribuenda sit et affirmandum, eum fidem nunquam perdidisse, sed mansisse eum continuo in fide. Cui autem, pergit Calixtus, unio substantiae utriusque naturae Christi cum substantia fidelis hominis causa sit certae perseverantiae in fide et caritate non abrumpendae, etiamsi interveniant peccata et opera carnis, ei commissionem peccatorum et operum carnis non adimere jus capessendae salutis. At Hülsemanno unionem Christi et fidelium esse causam certae perseverantiae in fide non abrumpendae peccatis intervenientibus: ergo propter hanc fidelium cum Christo unionem Hülsemanno ne peccata quidem jus capessendae salutis adimere; quare perniciosissimam esse hanc Hülsemanni unionis doctrinam (Antw. num. 76—81). Sed tamen concedi non potest, tam perniciosam unionis mysticae doctrinam esse, quam a Calixto contenditur, quum ab Hülse-

manno luculenter affirmetur, peccatis contra conscientiam commissis perdi unionem mysticam, quod praecipue „Calixtin. „Gewissensw." cap. VIII, pag. 1042 explicatur, qui locus huic Calixti accusationi oppositus est, et quum nusquam dicatur necessario fieri, ut perseverantia sequatur unionem cum Christo, sed doceatur modo, unione cum Christo fideles posse adipisci perseverantiam in fide, quae tamen perseverantia ab Hülsemanno plane dicitur esse resistibilis.

Discrimen autem inter universalem Dei praesentiam, qua omnibus creaturis praesens est, et eius gratiosam inhabitationem, quae solis fidelibus competit, in eo solum consistere affirmat Calixtus, quod Deus in eis fidem et spem et amorem et quae ad vitam spiritualem christianam necessaria sint operetur, quamobrem fideles in sacro codice nominari templa et habitacula Dei, Christi, Spiritus S. Dona autem et gratiam Dei in aliis majora esse, quam in aliis, crescere ea et minui et hominum culpa prorsus desinere posse. Sicut autem divina essentia nec minui, nec crescere, nec dividi, nec duplicari possit, eodem modo ne praesentiam quidem essentialem mutari posse, nec fieri posse, ut divina essentia in aliis major aut minor sit, quam in aliis (Antw. num. 85). Hac pulcherrima luculentissimaque explicatione refutatur a Calixto Hülsemanni et ceterorum huius aetatis unionis cum Deo et Christo seu unionis mysticae doctrina, quibus non sufficiat, Deum infinita sua substantia in omnibus et cum omnibus esse nec ex ullo exclusum, nec in ullo inclusum, neque sufficiat, Deum in fidelibus operari, qualia in aliis non operetur: sed qui peculiariter uniri velint substantiam hominis fidelis cum substantia totius S. S. Trinitatis „per juncturam substantiae ad substantiam" (Antw. num. 66). Monet autem Calixtus seriis gravibusque verbis, ne homo fidelis et conversus iterum e gratia excidat, neve comparatum jus aeternae beatitudinis perdat, necessarium ei esse, ut virtute Spiritus S., i. e. donis et viribus gratiae, quae ei a Spiritu S. data sint, opera carnis occidat ac

ne leviter quidem peccet, sed caste, juste, pie vivat in hac terra (Antw. num. 63).

§. 8.

De Koenigio, Calovio, Kromayero, Scherzero, Masio.

Inter orthoxos theologos eiusdem aetatis, qua Hülsemannus et Calixtus, quos modo commemoravimus, floruerunt, prae ceteris nominandi sunt Joannes Fridericus Koenigius, professor theologiae Gryphiswaldensis et Rostochiensis († 1664), cuius „theologia positiva acroamatica synoptice tractata ..... Rostochii 1665“ nobis respicienda, et Abraham Calovius, professor theologiae Wittebergensis († 1686), qui scripsit „systema locorum theologicorum e sacra potissimum scriptura et „antiquitate nec non adversariorum confessione doctrinam, „praxin et controversiarum fidei cum veterum tum imprimis „recentiorum pertractationem luculentam exhibens. Witteb. „1655—1677.“

His jam adjiciamus quosdam minus insignes theologos, qui hoc tempore vixerunt et scripserunt, Hieronymum Kromayerum, theologum Lipsiensem († 1670), qui scripsit „theologiam positivo-polemicam. Lipsiae 1667“; deinde Joannem Adamum Scherzerum, theologum Lipsiensem († 1683), cuius est „systema theologiae XXIX definitionibus absolutum. Lipsiae 1680“; denique Hectorem Godofredum Masium, Meclenburgensem, qui die 19. Nov. anni 1679 Argentorati de „desponsatione fidelium cum Christo ex Hos. II, 19 et 20. exercitatione academica exposita“ disputationem habuit, et concionator aulicus Hafniae mortuus est anno 1709.

Usque ad Joannem Fridericum Koenigium singuli quidem interdum unionis mysticae nomine ad designandam unionem fidelium cum Deo usi erant, sed modo interdum hoc

factum erat, nec quisquam hoc nomine ut nomine praecipuo et primario usus erat. Nam a Feurbornio et Mentzero praecipue praesentia specialis gratiosa vocatur, a Brochmando et Hülsemanno unio fidelium seu justificatorum cum Christo appellari solet: Koenigius autem primus unionis mysticae nomine ut primario nomine huius unionis utitur, qua in re omnes, qui hoc saeculo hanc unionem docuerunt, eum secuti sunt.

In ordine salutis, quem Koen. „actus gratiae Spiritus S. „applicatricis" vocat, quintum locum obtinet unio mystica, quum singuli eius gratiae actus sint gratiosa vocatio, regeneratio, conversio, justificatio, unio credentium mystica cum Deo, renovatio. Agitur de unione mystica „theol. posit. acroam." §. 564—587 (pag. 209—214), ubi eodem modo, quo jam a ceteris unionem mysticam docentibus factum est, describitur. Distinguit Koen. unitionem sive actum conjungendi, quo unum aliquod mysticum constituatur, ab unione, quam vult esse conjunctorum statum, i. e. effectum unitionis mysticae et consequens aliquid; sed tamen, quicquid de unitione dicitur, idem de unione dicendum esse. Definitio autem haec est: „Unitio credentium cum Deo „mystica est actus gratiae Spiritus S. applicatricis, „quo substantia fidelium substantiae S. S. Trini-„tatis et carnis Christi mediante fide, verbo evan-„gelii et sacramentorum usu accensa, arctissime, „impermixtibiliter tamen, illocaliter et incircum-„scriptive jungitur, ut unitus hoc modo Deo et re-„demptori de gratia praesenti et gloria subsecutura „certior inde factus in statu filiorum perseveret „et tandem aeternum salvus fiat." Hac definitione accuratissima omnia fere mihi videntur dicta, quae ad describendam unionem vel unitionem mysticam pertinent. Quamquam autem in definitione unio mystica tantum Spiritus S. actus vocatur, tamen in explicatione etiam patri et filio efficienda haec unitio tribuitur, ita ut tota S. S. Trinitas causa efficiens

unitionis huius dicatur. Materiam unitionis ex altera parte substantiam divinam totius S. S. Trinitatis accedente etiam humana Christi natura, ex altera parte substantiam fidelium esse comprehensis et animis et corporibus, ex compluribus sacri codicis apud alios jam citatis locis concluditur, ut ex 2 Pet. I, 4. Joa. XV, 1, 2, 4. 1 Cor. VI, 15, 19. Eph. V, 30. Gal. II, 19 et 20. Quumque verbum evangelii et sacramenta causa instrumentalis sint, qua Deus ad applicandam fidelibus hanc unitionem utatur, praecones verbi divini administras causas esse adjicit. Ut autem rejiciat falsas de hac unitione sententias, addit, eius formam neque in sola affectuum harmonia et sola gratiosa Spiritus S. in credentibus operatione consistere, neque in transsubstantiatione seu conversione substantiae fidelium in Dei et Christi substantiam aut vice versa, neque in consubstantiatione, ut ex duabus essentiis fiat una, neque in coalitione membrorum unitorum in unam personam: sed, quum justificatis solis haec unio competat, in conjunctione substantiae hominis fide justificati cum substantia Trinitatis et carnis Christi extremis seu membris uniendis unitis essentialiter, distinctis tamen manentibus essentiis etiam in medio unionis statu, quae unio, si accurate et proprie dicatur, non substantialis sed substantiarum unio vocanda sit. Tempus autem huius unionis Koen. omnino congruere censet cum tempore regenerationis, justificationis, renovationis: „esse tamen unum altero „prius quoad nostrum concipiendi modum.“ Ut enim regeneratio et justificatio priores sint unione mystica, quum haec ex fide et post fidem acceptam sit; sic unionem priorem esse renovatione, quum ex renovationis effectibus, bonis operibus, tanquam ex posteriore unionem esse cognoscamus. „Finem „denique unitionis huius certiorationem fidelis cum miseriis „huius vitae colluctantis de perpetua Dei assistentia et favore „esse“, affirmat Koen., „conservationem in statu gratiae, ob-„signationem certitudinis resurrectionis et glorificationis futurae, „unionem fidelium inter sese in fide et caritate.“ Si autem

fidelis homo unionis mysticae particeps denuo in peccata contra conscientiam commissa incidat, amitti unionem mysticam Koen. dicit; sed si denuo se converterit is, qui amisit unionis mysticae statum, etiam unionem mysticam eum denuo recuperare posse. Haec de Koenigii doctrina.

Abraham Calovius, longe insignissimus inter theologos lutheranos medio saeculo XVII florentes, unioni mysticae sextum tribuit inter octo gradus ordinis salutis, quem ordinem „σωτηριοποιΐαν seu salutis consequendae modum“ vocat. Octo enim illi „σωτηριοποιΐας gradus sunt vocatio, illuminatio, „regeneratio, conversio, justificatio, unio mystica „cum fidelibus, sanctificatio, glorificatio, qui „sy-„stem. loc. theol.“ tom. X, artic. I — VII tractantur, quorum articulus V est de unione mystica cum fidelibus (tom. X, pag. 505 – 581). Hanc doctrinam apud Calovium subtilius et acutius excultam videmus, quam apud ceteros lutheranos doctores et sequentes eum et praecedentes. Dividit enim articulum de unionis mysticae doctrina in tres partes, de quibus singulatim agit, quae sunt unio S. S. Trinitatis cum homine fideli (tom. X, artic. V, cap. I), unio mystica fidelium cum Christo (tom. X, artic. V, cap. II), spiritualis unctio (tom. X, artic. V, cap. III). Ac primo quidem capite explicat unionem divinae trium Trinitatis personarum substantiae cum homine fideli; deinde cap. II adjicit et explicat, Christum non modo divina, sed etiam humana sua natura substantialiter uniri; tertio denique capite, quod est de unctione spirituali, cognata et consequentia unionem mysticam fidelium cum Christo, quae sunt spiritualis unctio et ab ea desumpta christianorum denominatio et mystica cum Christo desponsatio, explicantur.

Unio S. S. Trinitatis cum homine fideli hoc modo describitur: „unio mystica est, qua Deus cum homine credente per fidem conjungitur, ita ut in illo habitet „eumque de gratia sua certum reddat, sanctificet et „ad vitam aeternam conservet“ (tom X, pag. 505), et

unio fidelium mystica cum Christo hoc modo definitur: „unio „mystica Christi cum homine fideli est conjunctio „vera et realis atque arctissima divinae et humanae „Christi θεανθρώπου naturae cum homine renato, „quae virtute meriti Christi per verbum et sacra- „menta fit, ita ut Christus cum homine renato unum „spirituale constituat et in ipso et per ipsum opere- „tur, eaque, quae agit aut patitur, fidelis sibi ap- „propriet, ut non vivat homo, quod ad spiritualem „et divinam vitam, per se, sed in fide filii Dei, „donec ad coelestem vitam evehatur“ (tom. X, pag. 526 et 527). Distinguitur unio mystica et a praesentia generali, quum hac omnibus creaturis adsit Deus, unione mystica solis credentibus, justificatis; et ab unione sacramentali, quum hic Christus omnibus fruentibus uniatur, in unione mystica solis fidelibus. Formam unionis non esse gratiae operationem, quod a Calixto et Calvinianis doceatur, sed veram cum Deo conjunctionem, quae simul substantiae divinae ad fideles approximationem inferat sine commixtione vel essentiae hominis transformatione, decem argumentis probatur: Primum „e Christi promissione“ Joa. XIV, 23 facta, ubi novus adventus, nova praesentia, propior accessus non donorum divinorum solum, sed ipsius essentiae ad eos promittatur, quibus jam antea ut omnibus creaturis substantia sua immensa adfuerit; 2. „ex inhabitatione „Dei in fidelibus“, cuius Joa. XIV, 23. 1 Cor. III, 16. VI, 19. 2 Cor. VI, 16 mentio fiat, quum Deus eis, quos inhabitare velit, non tantum donorum et virtutis suae praesentia, sed ipsa essentiae suae divinae propinquitate adsit; 3. „ex „unitate fidelium cum Deo“ (Joa. XVII, 21): quibus enim ita uniatur Deus, ut unum sint cum ipso, illis certe eum non tantum propinquitate virtutis, sed etiam essentiae adjungi; 4. „ex divinae naturae communione“, quae 2 Pet. I, 4 fidelibus tribuatur; 5. „ex Spiritus S. concessione“, 1 Joa. IV, 13; 6. „e conjunctionis et communionis electorum in coelis et in

„regno gloriae cum Deo cum unionis nostrae mysticae in „regno gratiae collatione“: si enim nihilo propior sit substantia divina fidelibus quam infidelibus in regno gratiae, nihilo propiorem etiam fore divinam substantiam coelitibus beatis in regno gloriae quam damnatis in inferno (1 Cor. XV, 28. Matth. XIII, 43. Phil. III, 21. Matth. VIII, 12); 7. „ex divinae „naturae filii Dei cum humana unione“: quum filius Dei non tantum operatione quadam aut influxu deitatis in humanitatem, sed vera substantiae suae divinae cum humanitatis substantia conjunctione humanae naturae particeps factus sit; 8. „e Spiri- „tus S. communicatione discipulis Christi facta“ (Joa. XX, 22. Act. II, Gal. IV, 6): neque enim dona sola cum eis communicata esse, sed ipsam simul substantiam Spiritus S., quum Christus eos insufflaret dicens: accipite Spiritum S.; 9. ex definitione librorum symbolicorum: explicat enim eum locum formulae concordiae, quem supra citavimus, ubi damnatur illa doctrina, qua non Deum ipsum, sed tantum Dei dona in fidelibus habitare doceatur, ita ut in hac damnatione unionem mysticam constitui censeat; 10. denique doctrinam suam Calovius confirmare studet ex lutheranae ecclesiae doctorum consensione aliquot locis ex eorum scriptis accitis (tom. X, pag. 509—519). Christum autem non solum divina sua natura, sed etiam humana fidelibus uniri, ex eo confirmatur, quod post factam unionem hypostaticam divelli nequeat humana ab divina natura: habitare autem eum non solum in fidelium animis (Eph. III, 17), sed etiam in corporibus et membris eorum (tom X, pag 531). Effici hanc unionem cum Deo trinuno inclusa humana Christi natura ex parte Dei per verbum et sacramenta ex parte hominis per fidem, quibus mediis etiam conservari hanc unionem, nam praecipue sacrae coenae usu unionem fidelis cum Christo propiorem et arctiorem fieri; recedere autem Deum substantia sua ab impiis et unionem mysticam amitti *ἀπιστίᾳ* et peccatis proaereticis, quibus Deus ex hospitio ejiciatur et homo tanto hospite privetur. Finem

denique unionis mysticae eundem atque ceteri lutherani doctores profert, perseverantiam in fide et conservationem ad aeternam beatitudinem, certificationem fidelis de perpetua assistentia et influentia Dei ad fidei et bonorum operum augmentum et exercitium, denique salutem aeternam (tom. X, pag. 507, 530, 532). Adversariorum sententiae, Weigelianorum, Calvinianorum, Calixti et Syncretistarum, Pontificiorum etc., accuratissime multisque verbis tractantur et refutantur saepe Hülsemannni imprimis et Brochmandi scriptis ad confirmandam orthodoxam doctrinam accitis. Loquitur etiam Calovius de unionis mysticae nomine. Dicit enim, esse quosdam, quibus magis placeant nomina praesentiae, compraesentiae, conjunctionis, communicationis, concomitantiae, sed omnia haec nomina non sufficere. Ubi enim sola praesentia aut compraesentia locum habeat, non necessario sequi conjunctionem vel *κοινωνίαν*; concomitantiam esse papisticum vocabulum huic conjunctioni nequaquam congruens; conjunctionis vocabulum non esse gratum et receptum, utpote Nestorianis arridens; *κοινωνίαν* vero vel communicationem nullum locum habere posse sine *ἑνώσει* seu unione, quia communicatio unionem sequatur, nec realem communicationem esse posse, ubi nulla realis unio sit. Praeferendum igitur unionis nomen esse, quod, quamquam in sacro codice non reperiatur, tamen, quod ad sensum attineat, ex 1 Cor. VI, 17 deduci possit; mysticam autem hanc unionem appellari, quod ingens sit *μυστήριον* (Eph. V, 32, 2 Cor. V, 7) (tom. X, pag. 505, 551, 552, 555).

Unionis mysticae ipsius doctrina universa artic. V, cap. I et II prolata et explicata addit cap. III, quo de cognatis unionis mysticae et consequentibus agit, de spirituali unctione, de christianorum denominatione de mystica cum Christo desponsatione, atque unctio spiritualis hoc modo definitur: „unctio „mystica est, qua renati virtute unctionis Christi Spiritu S. „delibuti donis eius instructi sunt ut spirituales prophetae, sacer„dotes et reges“ (Ps. XXIII, 5. 2 Cor. I, 21. 1 Joa. II, 27),

cui definitioni unctionis mysticae vel spiritualis hoc addit: „accipitur autem unctio vel pro donorum Spiritus S. effusione, „vel pro consecratione renatorum ad officium, cuius gratia „donis Spiritus S. instruuntur fideles. Illam propriam dicere „licet unctionem, hanc vero impropriam.“ Hanc vero unctionem, qua fideles Spiritus S. donis donentur, gradu tantum ab ea unctione distinguendam esse, qua Christus unctus sit Spiritu S., negat Calovius: nam Christum non tantum angelicis vel etiam majoribus, sed vere divinis, non finitis, sed infinitis, non creatis, sed increatis donis delibutum esse, non juxta mensuram, sed vere immensis Spiritus S. chrismatibus eum unctum esse, quae toto genere non gradu tantum differant a creatis, finitis donis, quibus homines fideles ungantur. Accipere autem homines fideles hanc unctionem Spiritus non nisi virtute unctionis et meriti Christi, „ex cuius plenitudine nos omnes „accipimus gratiam pro gratia“ (Joa. I, 16), et obtineri eam unctionem quum baptismo (Tit. III, 5), tum verbo (tom. X, pag. 568, 569, 571, 574). Definitur deinde ab unctione spirituali, ut dicit Calovius, desumpta christianorum denominatio ita: „christianus est homo renatus, quatenus a Christo accepit „chrisma vel unguentum, Spiritum S.“ (tom. X, pag. 570); et denique desponsatio fidelium cum Christo mystica definitur in hunc modum: „desponsatio Christi cum fidelibus est, qua „sese aeternum copulat credentibus per fidem, ut sint unus „spiritus, et amorem intimum et perpetuum, vi cuius omnia „bona sua omnemque gloriam ipsis ceu sponsae suae spirituali „communicat eos tandem in thalamum deducturus in coelesti „regno et perpetuo illis cohabitaturus.“ „Sponsa“, addit, „est „ecclesia et anima quaevis fidelis, casta et sancta“ (tom. X, pag. 572 et 573).

Cur Calovius desponsationem fidelium cum Christo inter cognata unionis mysticae eamque consequentia numeret, non desponsationem alio tantum nomine idem prorsus significare dicat atque ipsam unionem mysticam, quod a ceteris ortho-

doxis lutheranis et praecedentibus Calovium et sequentibus, ut a Brochmando (syst. univ. theol. tom. II, pag. 304), Koenigio (theol. posit. acroam. pag. 210), Quenstedtio (theol. didact. polem. part. III, pag. 615), Hollazio (exam. theol. acroam. pag. 934), factum est, difficile est dictu, praesertim quum, qualem ille definit desponsationem, ea ab unione mystica distingui non possit. Spiritualis autem unctio, quam propriam dicit, nil est nisi donorum Spiritus S. applicatio et communicatio unione mystica effecta.

Haec unionis mysticae in tres partes divisio proprium et singulare opus est Calovii subtilitatis, quale neque ante eum quisquam in explicanda unionis mysticae doctrina protulerat, nec post Calovium quisquam protulit.

Jam vero quum Calovii doctrinam unionis mysticae tractarimus, mentio fiat libelli, qui Calovii aetate a theologis lutheranis Saxonicis ad rejiciendam Georgii Calixti et eius sociorum doctrinam anno 1655 primum editus est, „theologorum Saxonicorum consensum repetitum fidei „vere lutheranae“ dico, quo ut novo libro symbolico doctrina lutherana formula concordiae jam nimis angustis finibus circumscripta ab auctoribus, qui se principes inter theologos lutheranos esse putantes in ecclesia dominari hac aetate semper voluerunt, etiam magis coerceretur, de quo libello vir piissimus deque ecclesiae salute maxime sollicitus, Philippus Jacobus Spenerus anno 1677 ita judicat (Consil. theol. lat. 1709, part. III, pag. 210): „consensum repetitum tanti apud aliquos esse, „ut etiam confirmetur juramentis, miratus sum et dolui, quum „legerem. Sed non omnes suffragatores inveniet, si qui obtru„dere conarentur. Memini consilia agitata fuisse de suffragiis „ecclesiasticorum colligendis: monui, ne tentaretur, nam metum „esse, ut [ne] loco consensus apud quamplurimos dissensus in „publicum prodiret, qui in θέσει et ἀντιθέσει concordes in eo „suam libertatem non patientur constringi, an Calixtus vel „complices ita vel aliter doceant et quae illorum mens fuerit.

„Sed omni conatu ipsi studemus, schisma in ecclesia nostra „efficere, quod certe non poterit caveri, si quando consensus „ille repetitus pro symbolico libro obtruderetur, quod tamen, „futurum jam non reor, imprimis quia nec Witteberga omnino „consentit, vel tota illius scripti in se suscipit defensionem. „Instat jubilaeus formulae concordiae publicatae, quo sperabunt „consensus illius fautores, hunc etiam formulae assuendum, „quorum tamen conatui spero obstituros, qui, quae e re sunt „ecclesiae, rectius intelligunt.“ Et revera, quod Spenerus speravit, consensus repetitus nunquam et nusquam vim symbolicam habuit.

In hoc consensu repetito *), quum orthodoxam huius aetatis doctrinam, Calovianam, ut ita dicam, contineat, etiam unionis mysticae doctrina docetur. Nam quum puncto 14 (pag. 12) rejecta sit, quam Georgius Calixtus de hac re sententiam protulerat in epitome theologiae moralis, his verbis: „rejicimus eos, qui docent, non esse in nobis Spiritum S. nisi „per donum aliquod suum, quod in nobis efficiat“, additur, postquam citata est Hülsemanni de hac re doctrina: „quod „tanquam novitatem Hülsemannicam reprobat ibidem Calixtus „[in append. dissert. de myst. trin. §. 15 scil.]: tametsi nihil „aliud nisi mystica propinquior ipsius substantiae divinae cum „nostra conjunctio, qua, ut Paulus loquitur 1 Cor. VI, 16 „[17], fidelis etiam unus sit cum Deo spiritus, indicata fuerit, „ne credatur Deus tantum ratione donorum et virtutis, sed „etiam ratione divinae essentiae suae fidelibus propinquior „substantiali propinquitate, non sola operatione; utut quomodo „id se habeat, mentis nostrae indagine assequi non valeamus.“ Et puncto 34 (pag. 28) docetur: „Rejicimus eos, qui pere„grinam et fanaticam appellant doctrinam de substantia hominis „fidelis gratiose ac mystice unita cum substantia totius S. S. „Trinitatis deque termino huius unionis non sola divina, sed

*) Utor editione ab E. L. Th. Henke anno 1846 Marburgi curata.

„humana quoque Christi natura, cui etiam fide extra sacra- „mentum jungamur quoad substantiae nostrae peculiarem quan- „dam et mysticam approximationem.“ Quibus duobus locis revera orthodoxam unionem mysticam doceri manifestum est.

Etiam ab Hieronymo Kromayero et ab Joanne Adamo Scherzero unionis mysticae doctrina docetur, quamquam in dogmaticis libris suis describendae ei peculiarem locum non dederunt.

Nam in Hieronymi Kromayeri „theol. posit.-polem.*) nihil fere de unionis mysticae doctrina invenitur. Citat quidem eam et distinguit ab unione personali duarum in Christo naturarum loc. III, qui est de Christo, pag. 164, ubi dicitur essentia Christi cum essentia credentis uniri, quae unio mystica vocetur. Deinde contra Osiandri doctrinam dicit inhabitationem justitiae Dei essentialis in hominibus sequi justificationem, quum Deus non habitet nisi in corde fide purificato (pag. 506 et 507); atque unione sacramentali arctiorem et certiorem fieri unionem spiritualem Christi cum credentibus (pag. 733). Sed praeterquam quod, quum dicit, uniri essentiam Christi cum essentia credentis, approximationem essentiae Christi ad essentiam credentis hominis significat, aliud etiam habemus testimonium a Kromayero revera unionem mysticam doceri. In libro enim ab auctore ignoto edito, cui titulus inscribitur: „Dissensus theologorum Jenensium ab orthodoxis electoralibus „e Jenensium declaratione et celeberrimi theologi Dn. Abra- „hami Calovii systemate theologico ad verbum descriptus anno „1678“ num. 93 citantur Kromayeri „loci anti-syncretistici“, qui mihi non ad manus sunt, cuius libri pag. 65 teste auctore anonymo „dissensus theologorum Jenensium“ Krom. dicit, qui negent, Spiritum S., imo totam S. S. Trinitatem incluso corpore Christi credentibus substantia uniri, eos dicta sacri codicis

*) Utor editione a Kiliano Rudrauffio anno 1688 Francof. ad Moen. edita.

luculenta de unione Christi cum fidelibus obscurare, quum hoc dogma non, ut a Syncretistis contendatur, novitas Hülsemanniana, sed coelestis veritas sit.

In Joannis Adami Scherzeri, „system. theol." *) ordinem salutis invenimus, in quo etiam unio mystica locum obtinet. Ubi enim definitur „conversio per poenitentiam", Scherzeri ordo salutis perspicitur (pag. 289), cuius singuli gradus sunt conversio passiva, conversio per poenitentiam (i. e. activa), justificatio, unio fidelium cum Christo, renovatio. Deinde aliis locis legimus, unionem justificatorum mysticam cum Deo, quae confirmatur locis Joa. XV, 4 sqq. VI, 56. Gal. II, 19, 20. 1 Cor. VI, 15, 17, seu unionem nostri cum Christo, qui fide induatur Gal. III, 27 et fide habitet in cordibus credentium Eph. III, 17, finem et effectum esse justificationis. Mysterium hoc magnum esse, nec eam consistere in sola affectuum unione (pag. 305 et 454). Accuratius et fusius non explicatur illa doctrina, sed lectores ad Hülsemanni breviarii cap. XIV rejiciuntur, unde jam concludi potest, Scherzerum orthodoxam unionem mysticam docuisse, quum suam ipsius huius doctrinae explicationem omittens eius loco Hülsemannum, acerrimum unionis mysticae defensorem, citet. Sed eum reapse orthodoxam unionem mysticam docuisse, inde etiam perspicitur, quod in „dissensu theologorum Jenensium ab orthodoxis electoralibus" num. 92 Scherzerum dixisse legimus, gradus praesentiae divinae non solis operationibus, sed etiam propiore adessentiae ratione distingui.

Hector Godofredus Masius denique Argentorati de unione mystica disputavit et dissertationem edidit, qua unionem mysticam fidelium cum Christo ex Hos. II, 19 et 20 ut desponsationem fidelium cum Christo explicat et hoc modo definit: „desponsatio mystica est actus gra-

*) Utor editione anno 1704 Lipsiae et Francofurti edita.

„tiosae praesentiae divinae, quo se salvator cum „credentibus per fidem nexu arctissimo sed tamen „impermixtibili copulat ad perpetuum suavissi- „mumque amorem, bonorum omnium communionem „et futurae gloriae in nuptiis agni haereditatem“ (pag. 22). Sponsum in hac desponsatione esse, dicit Mas., Christum utraque sua natura, qui verbo et sacramentis fidem accendentibus instrumentis sponsae, quae sit ecclesia et quilibet homo fidelis corpore et animo, gratiose in his terris uniatur verbi divini ministris quasi proxenetis seu paranymphis conciliantibus sponsi coelestis amorem. In ordine salutis hanc desponsationem proximum locum obtinere post justificationem, et eius formam non in sola affectuum harmonia et gratiosa sponsi in fidelibus operatione consistere, sed etiam divinam et humanam Christi naturam modo quidem ineffabili, verum tamen propiore quadam substantiae approximatione cum renatis uniri, sed sine ulla essentiarum mutatione (pag. 11—20). Loquitur hic etiam Masius de phrasi „ego sum Christus“, qua quondam Lutherus in annotatione illa ad Gal. II, 20 et nuper Philippus Jacobus Spenerus in concione quadam usus erat. Spenerum hic Masius reprehendit nomine quidem non expresso sed tamen eo modo, ut eis, qui controversias huius aetatis cognoverunt, apertum sit, quis petatur, cuius offensionis Spenerus ipse mentionem facit consil. lat. part. I. pag. 142. Neque tamen orthodoxia Speneri in dubium vocatur a Masio, sed negat tantum, se satis intelligere, quid solatii quibusdam ex ea phrasi capi posse videatur; nam quamvis proprie Eva dicatur esse carnis Adami, nunquam tamen dici Evam esse Adamum (pag. 21). Finem desponsationis mysticae, describit Mas., esse „certam fidelium persuasionem de gratiosa Dei assistentia“ et „obsignationem beneficiorum a Christo partorum“ et „firmam futurae gloriae cum sponso participandae fiduciam“. Effectum denique desponsationis esse „mutuam quandam *κοι-* „*νωνίαν*, ut et fideles sibi ea, quae Christo propria sint, adscri-

„bant et vicissim salvator ea, quae fidelium sint, sibi tribuat" (pag. 21 et 22). Peccatis autem proaereticis rumpi a renatis hanc desponsationem; quam tamen redintegrari posse, si homo resipiscat et ad Christum redeat.

Hoc modo igitur a Masio desponsatio fidelium cum Christo seu unio fidelium mystica cum Christo θεανθρώπῳ describitur neglecta prorsus unione fidelium cum Deo patre et Spiritu S.

§. 9.

De Musaeo et Baiero.

Ordo theologorum Jenensis academiae, imprimis Joannes Musaeus, professor theologiae in hac academia († 1681), „consensum repetitum" theologorum Saxonicorum atque summam auctoritatem Wittebergensium non agnoverat, sed in controversiis illis inter Wittebergenses et Helmstadienses exortis moderationem suaserat, quod Wittebergensibus atque imprimis Calovio ita displicuit, ut Jenenses variorum errorum arguerent, quae accusatio etiam inter Wittebergenses et Jenenses theologos aliquantum certaminis excivit. Nam quum Joannes Reinhardus, magister philosophiae in academia Wittebergensi, theses de theologorum Jenensium erroribus conscripsisset eo consilio, ut de illis disputationes institueret, quibus thesibus hunc titulum inscripserat: „Theologorum Jenensium errores „ex variis eorundem scriptis dilucide monstrati inque privato „collegio juxta methodum Koenigianam ventilati", ad hunc libellum, quo 19 locis, 93 quaestionibus theologi Jenenses 93 errorum accusati sunt, respondit anno 1677 Joannes Musaeus nomine theologorum Jenensium in libro, cui hic titulus inscribitur: „Der Jenischen Theologen ausführliche Erklärung über „drei und neunzig vermeinte Religionsfragen oder Controversien, „wie, was und aus was Motiven und Gründen sie oder auch „nach Beschaffenheit der Sache ihre Vorfahren bei der fürstlich

„sächsischen gesammten Universität Jena von einer jeden privatim „oder publice gelehret oder nicht gelehret haben: auf Veranlassung „einer verläumderischen Charteke...... Jena 1677.“ Hac in responsione Musaeus ostendit, eas doctrinas, propter quas Jenenses et prae ceteris ipse Musaeus heterodoxias accusentur, nil esse nisi antiquas ecclesiae lutheranae doctrinas easdem, quae a Gerhardo aliisque indubitatae auctoritatis et orthodoxias doctoribus olim prolatae sint; has enim aliquot decenniis post ab ipsis orthodoxis temere mutatas esse, et hanc mutatam doctrinae formam ab orthodoxis aliquibus pro vera et antiqua doctrina venditari. Huic deinde Musaei „Ausführlicher Erklärung“ duo ab orthodoxis scripta opposita sunt auctorum nominibus celatis, quorum alterum est „dissensus theologorum „Jenensium ab orthodoxis electoralibus e Jenensium declara„tione et celeberrimi theologi Dn. D. Abrahami Calovii sy„stemate theologico ad verbum descriptus anno 1678“, cuius auctorem esse Abr. Calovium nonnulli suspicati sunt; alterum est „dissensus theologorum Jenensium hodiernorum a suis „majoribus et praedecessoribus.... anno 1679“, quibus duobus scriptis Jenensium discrepantes doctrinae accitis orthodoxorum doctrinis ut falsae damnantur.

Reinhardus in eo scripto, quod supra contuli, „theologorum Jenensium errores“, etiam dixerat loco XIV, quaestionibus 74 et 75, Musaeum reprobare doctrinam unionis mysticae orthodoxam et veram, ad quam accusationem respondit Musaeus „Ausführl. Erklärung“ pag. 600—644. Quaestiones a Reinhardo affirmatae a Musaeo negatae hae sunt: Quaestio 74: „num Deus trinunus ratione essentiae seu sub„stantiae suae propior sit homini fideli vi unionis spiritualis, „quam est apud infideles?“ et quaestio 75: „num Christus „secundum humanam naturam substantialiter propior sit fideli „quam infideli, vel num humana Christi natura in cordibus „fidelium habitet per quandam peculiarem sui approximationem „ad substantias eorundem?“, quarum quaestionum prior est

de unione S. S. Trinitatis cum fidelibus, altera de unione humanae Christi naturae cum fidelibus.

Ad has igitur quaestiones respondens Musaeus fusissime et accuratissime orthodoxam unionis mysticae doctrinam refutat praecipue Gerhardi de hac re prolatam doctrinam sequens. Nam quod ad priorem quaestionem attineat, num Deus trinunus substantia sua fidelibus propior sit quam infidelibus, inter omnes hoc dicit constare, Deum trinunum infinita et immensa sua substantia omnibus hominibus, fidelibus et infidelibus, quin etiam omnibus creaturis adesse, atque hanc Dei praesentiam, qua pro immensitate substantiae suae omnibus creaturis adsit, non esse otiosam praesentiam, sed praesentiam cum operatione divina conjunctam. Quum autem operationes Dei diversae sint in singulis creaturis, his diversis operationibus etiam distingui praesentiam divinam: eamque divisionem fieri solere quatuor classibus. In prima enim classe poni operationem generalem, qua Deus substantia sua omnibus creaturis praesens efficacitate et operatione sua omnes creaturas conservet et regat (Act. XVII, 27); in altera et tertia classe speciales Dei operationes comprehendi, quas Deus in fidelibus et piis hominibus operetur: et quidem operationem Dei gratiosam, qua Deus hominem illuminet, convertat, ad bonum agendum impellat in hac vita, et operationem Dei gloriosam, qua Deus pium denique ad aeternam gloriam et beatitudinem evehat in aeterna vita; in quarta classe denique comprehendi prorsus specialem et nostro intellectui omnino inexploratam operationem divinae substantiae, qua Christi aeterna divina natura assumptam humanam naturam intima περιχωρήσει, ut ab antiquis ecclesiae doctoribus doceatur, impleat et sibi vindicet. Ut autem hi quatuor operationis modi inter se distinguantur, ita etiam propter has diversas operationes praesentiam Dei in creaturis in quatuor modos vel gradus praesentiae distingui. Omnem enim operationem esse „modum determi-„nantem praesentiam essentiae divinae in rebus creatis ad

„certam speciem vel gradum praesentiae", ut singuli praesentiae gradus sic denominentur: praesentia generalis, praesentia gratiosa, praesentia gloriosa, praesentia hypostatica (pag. 601—603).

Hanc igitur doctrinam inter omnes constare et omni tempore in ecclesia christiana doctam esse: sed jam ante paucos annos quosdam theologos prorsus novam doctrinam proferre, discrimen inter gradus singulos divinae in creaturis praesentiae non in sola diversitate operationum positum esse, sed etiam „in diversitate approximationis substantiae sive essentiae di- „vinae ad substantias sive essentias rerum creatarum", ita ut substantia divina aliis creaturis propior sit quam aliis (pag. 603 et 604). Hanc autem doctrinam cum ea doctrina, quam Joannes Gerhardus de Dei omnipraesentia et de singulis praesentiae divinae modis protulerit, nequaquam concinere, multis locis ex Gerhardi scriptis petitis, quos plerosque supra attulimus, luculentissime a Musaeo demonstratur (pag. 605—609). Deinde etiam accitis Thummii et Feurbornii et Mentzeri scriptis et collato Gerhardi locorum tomo primo cum huius tomi exegesi, unionis mysticae doctrinam ostendit secundo saeculi XVII decennio ortam esse (pag. 609 et 610); de qua re jam supra §§. 4 et 5 egimus.

Refutatur autem a Musaeo unionis mysticae doctrina his argumentis: 1. nunquam antea hanc doctrinam in academia Jenensi doctam aut defensam esse. 2. neminem posse ex sacro codice hanc substantiae divinae peculiarem ad fidelium substantiam approximationem demonstrare, nisi quis littera et verbo non sententia nitatur dicentis „veniemus ad eum"; quo verbo si quis nitatur, eum immensitatem essentiae divinae negare. Nam si generalis haec propinquitas Dei, qua omnibus creaturis adsit, vera sit substantiae divinae propinquitas atque jure ita appelletur, specialem quandam appropinquationem, qua substantia divina substantiae hominis fidelis propior fiat, quam antea fuerit, non posse cogitari nec statui, quia eiusmodi appro-

pinquatione concessa inter substantias Dei et creaturae sola propinquitate generali conjunctas distantiam aliquam concedi oporteat, quam specialis illa appropinquatio aut tollat omnino aut minuat saltem. Hoc autem si statuatur, sine dubio generalem illam propinquitatem jam non esse veram propinquitatem. Jam vero quum inter omnes constet, pergit Musaeus, Deum esse in fidelibus speciali quadam praesentia et unione, hanc praesentiam, quum nullo modo possit esse substantiae divinae specialis propinquitas, in sola speciali operatione gratiosa ponendam esse: eamque unionem fidelium cum Deo multo arctiorem dici posse, quam eam praesentiam, qua omnibus creaturis adsit, non propter substantiarum Dei et fidelium appropinquationem, sed quia Deus jam antea praesens substantia sua ita in fidelibus operetur, ut eorum animi, quam maxime in mortalibus hominibus fieri potest, justitia et sanctitate imagini Dei conformes fiant et fide et amore cum Deo uniantur: in impiis autem, qui et ipsi propinquitate substantiali cum Deo conjuncti sint, eius operationem in sola eorum gubernatione et conservatione consistere. 3. denique Musaeus in refutanda unionis mysticae doctrina intelligere se negat, quid huius sententiae auctores aut eius propugnatores et defensores hac speciali praesentia, peculiari approximatione substantiae divinae ad substantiam hominis fidelis a propinquitate substantiali eius in homine infideli diversa significare velint (pag. 618 — 628).

Ubi autem in sacro codice scriptum sit, Deum mansionem in fidelibus facere, Spiritum S. in fidelium animos mitti, ad humanum intellectum accommodata esse eius verba, ut a nobis praesentia Dei capi soleat. Nam quum praesentia Dei ab hominibus solum ex eius operationibus sentiatur et cognoscatur, nos, si sentiamus operationem gratiosam Dei vel illuminantem animum nostrum vel novos bonos motus et cogitationes in nobis excitantem, dicere, Deum vel Spiritum S. ad nos venire; et quum sentiamus et cognoscamus, Deum con-

tinuo in nobis operari, tum nos dicere, eum in nobis habitare, et sacrum codicem hoc eodem loquendi modo uti. Ubi autem in sacro codice dicatur Spiritus S. a patre et filio procedens ad fideles mitti, hoc ita intelligendum esse, ut Spiritum S., propter immensitatem et infinitatem substantiae suae fidelibus jam antea praesentem, cum consensu patris et filii atque jussu eorum in illis gratiose operari dicamus (pag. 630, 631, 634).

De altera Reinhardi adversarii quaestione, „num humana „Christi natura substantialiter propior sit homini fideli quam „infideli", quid doceat Musaeus, optime explicabimus respicientes ad ea, quae de omnipraesentia carnis Christi docet. In hac enim exponenda plane formulam concordiae *) sequitur, quae docet, Christum non modo divina, verum etiam humana sua natura et cum ea praesentem esse posse, ubicunque velit, et revera praesentem esse, ita ut ecclesiae suae in terris utraque sua natura praesens sit mediator et caput et rex et summus sacerdos; probatque ea, quae, ut ipse testatur (pag. 551), in apologia form. conc. dicuntur, non oportere dici, substantiam corporis vel carnis Christi in omnibus creaturis esse, sed sufficere, si cum libro concordiae dicamus, Christum etiam hominem vel assumpta sua humana natura omnibus creaturis praesentem esse et eas gubernare; et ipse profitetur, gratiosam inhabitationem Christi θεανθρώπου, quam deducit ex omnipraesentia carnis Christi, eodem modo, quo in unione Dei cum fidelibus docuerit, consistere in operatione gratiosa accedente ad universam illam propinquitatem Christi substantialem, qua operatione animos fidelium illuminet, fidem accendat, subinde novos motus excitet; itaque se dicere, „Christum θεάν-„θρωπον totum habitare in fidelibus per fidem. Gal. II, 20. „Eph. III, 17." (pag. 643 et 644).

Sic a Musaeo acutissime et prudentissime doctrina unionis mysticae refutatur, neque id ipsius tantum nomine et ipsius

*) Solid. declar. VIII, 78 editionis ab Hase anno 1837 editae pag. 783.

auctoritate factum est, sed totius ordinis theologorum nomine et cum eorum consensu, qui ei universi defensionem hanc doctrinarum Jenensium mandaverant; unde consequitur, Jenae neminem prorsus hanc doctrinam aut probasse aut protulisse.

Etiam apud Musaei generum, Joannem Guilelmum Baierum, superintendentem generalem Vinariensem († 1695), qui scripsit „compendium theologiae positivae adjectis notis „amplioribus, quibus doctrina orthodoxa . . . . . confirmatur „allegatis subinde scriptis dictisque B. Joa. Musaei. Jenae 1686“, in quo libro ut in tota sua theologia Musaeum praecipue sequens cum theologia Jenensium prorsus consentit, unionis mysticae doctrina frustra quaeritur. Ubi enim in part. III, cap. IV, quod est de justificatione, §. 10 (pag. 562 et 563) justificationis effecta enumerat, etiam donatio Spiritus S. nominatur, quae nota c. prorsus Musaei modo explicatur ita: „ut ipse in „justificatis substantialiter praesens conferendo uberiora gratiae „dona se praesentem et velut inhabitantem manifestet. Gal. „IV, 6. 1 Cor. III, 16.“ Hic igitur donatio Spiritus S. manifestatio praesentiae substantialis, quae efficiatur conferendo uberiora gratiae dona, dicitur, non approximatio substantiae divinae ad fidelium substantiam.

§. 10.

De Quenstedtio et Hollazio.

Orthodoxiae lutheranae veteris, quae inde a formula concordiae publicata usque ad finem saeculi XVII floruit, postremi duo doctores, in quorum scriptis dogmaticis doctrina orthodoxa lutherana summe exculta et perfecta invenitur, sunt Joannes Andreas Quenstedtius et Davides Hollazius, quibus, ut ita dicam, quasi ultimis lapidibus magnum illud aedificium orthodoxiae lutheranae praecipue Wittebergensis concluditur.

Joannes Andreas Quenstedtius, professor theologiae Wittebergensis († 1688), scripsit „theologiam didactico-pole„micam sive systema theologicum . . . . . Wittebergae 1685", et Davides Hollazius, pastor Jacobshagensis (Pomeranus) († 1713) scripsit „examen theologicum acroamaticum universam „theologiam thetico-polemicam complectens. Holm. et Lips. „1707", quibus duobus libris unionis mysticae doctrina orthodoxa accuratissime tractatur.

Joannes Andreas Quenstedtius Joa. Frid. Koenigii doctrinam in „theologia positiva acroamatica" prolatam sequens eamque fusius et uberius explicans gratiam Spiritus S. applicatricem sex actibus absolvi dicit, qui sunt gratiosa vocatio, regeneratio, conversio, hominis peccatoris coram Deo justificatio, unio fidelium mystica cum Deo, renovatio sive sanctificatio. Ab aliis etiam poenitentia et confessio, quae in Quenstedtii theol. didact.-polem. locum inter justificationem et unionem mysticam obtinent, inter actus gratiae Spiritus S. applicatricis numerantur, sed mea quidem sententia immerito. Nam quum vocatio, regeneratio, conversio, justificatio, unio mystica, renovatio in definitionibus actus Spiritus S. aut totius S. S. Trinitatis nominentur, poenitentia et confessio actus hominis peccatoris, non Spiritus S. aut Dei vocantur; nec deinde in effectibus justificationis nominatur poenitentia, sed unio mystica; imo ipsa justificatio immediatus dicitur esse poenitentiae effectus, mediatus autem effectus unio mystica. Propriam unionis mysticae definitionem Quenst. non profert, sed postquam protulit Koenigii definitionem, aliam aliorum theologorum definitionem adjicit his verbis: „ab aliis „unitio mystica non minus accurate et perfecte [quam a Koe„nigio factum est scil.] ita definitur: quod sit realis et „arctissima substantiae S. S. Trinitatis et Christi „θεανθρώπου cum substantia fidelium conjunctio „a Deo ipso per verbum evangelii, sacramenta et „fidem facta, qua speciali essentiae approximatione

„et gratiosa operatione in iisdem est, ita ut et fi-
„deles in eo sint, ut per mutuam et reciprocam
„immanentiam vivificae facultatis et omnium bene-
„ficiorum eius participes facti certi sint de gratia
„Dei et salute aeterna unitatemque in fide et cari-
„tate cum reliquis corporis mystici membris ser-
„vent“ (theol. didact.-polem.*), part. III, pag. 622); quam definitionem quum Quenst. luculenter dicat aliorum esse, H. Schmid (Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche. 1853. pag. 373) immerito eam Quenstedtio tribuit, quamquam certe Quenst. cum hac definitione et Koenigiana consensit, quum aliam ipse non protulerit. Quaestionem esse dicit et controversiam inter quosdam theologos, „an Deus unitrinus, pater,
„filius et Spiritus S., et nominatim Christus θεάνθρωπος quum
„secundum divinam tum secundum humanam naturam, quae
„nunquam ab illa abesse potest, per unionem specialem et
„inhabitationem gratiosam in fidelibus non modo specialis ope-
„rationis ratione, sed etiam quoad peculiarem ab universali
„praesentia distinctum praesentiae modum adsint et intimius
„iisdem quoad substantiam uniantur et conjungantur, quam
„creaturis quibusvis sive animatis sive inanimatis“, sive, quod idem sit, „an substantia physica hominis fidelis cum substantia
„totius S. S. Trinitatis et carnis Christi etiam extra sacra-
„mentum eucharistiae vere realiter et arctissime conjungatur
„sine extensione aut contractione essentiae divinae aut humanae
„extremis unitis essentialiter distinctis manentibus etiam in
„medio unionis actu“, quod verum esse affirmat (part. III, pag. 623). Distinguendam enim esse hanc unionem mysticam ab illa communi et generali adessentia, qua Deus quum omnibus creaturis tum etiam fidelibus praesto sit, quum haec unio mystica nova prorsus eaque distincta a communi et generali praesentiae modo approximatio essentiae divinae sit. Porro

---

*) Utor editione anno 1691 edita.

eam non consistere in sola gratiosa Spiritus S. in credentibus operatione, sed in approximatione substantiae divinae ad fideles his argumentis probatur: 1. ex Christi promissione, Joa. XIV, 23. XV, 26. His enim verbis agere Christum de reali adventu, qui importet specialem approximationem, verba enim veniendi, inhabitandi, mittendi etc., quibus verbis multis sacri codicis locis describatur unio mystica, quae omnia verba ὑπαρκτικὰ sint, in explicandis his locis in mere ἐνεργητικὰ converti non posse; 2. ex inhabitatione in fidelibus: dici enim, Christum habitare fide in cordibus fidelium, Eph. III, 17, Rom. VIII, 9 et 11, 2 Cor. VI, 16; 3. ex unitate fidelium cum Deo, Joa. XVII, 21. 23; 4. ex divinae naturae communione, 2 Pet. I, 4; 5. ex jucundissima similitudine de vite et palmitibus, Joa. XV, 5 et 6 (part. III, pag. 626 et 627). Distinguitur denique unionis mysticae doctrina a Weigelianorum et Schwenckfeldianorum doctrina, qui transsubstantiationem substantiae humanae in substantiam divinam fingant aut vice versa; nec talem esse unionem, ut ex duabus substantiis unitis fiat una substantia; nec talem eam esse, qualis unio duarum naturarum in Christo sit, i. e. unionem personalem, nec denique talem, qualis sit unio sacramentalis (part. III, pag. 624). Essentiam divinam autem admittere talem approximandi rationem, qualis sit unio mystica, sine periculo immensitatis amittendae, qua omnibus creaturis praesentia generali adsit, duobus exemplis ex sacro codice petitis probatur: ex conjunctione Spiritus S. cum columba et ex singulari illo praesentiae divinae modo, unione personali duarum naturarum in Christo (part. III, pag. 629). Christum autem etiam humana sua natura fidelibus adesse, eo perspici, dicit Quenst., quod salva unione naturarum non possit adesse nisi utraque sua natura, divina et humana. Haec doctrina etiam probatur ex loco sacri codicis Joa. XV, 4—7. Qua enim natura Christus sit vitis, ea conjungi eum cum fideli palmite. Christum autem utraque sua natura esse vitem, utraque igitur natura eum cum fideli pal-

mite conjungi. Utrumque enim in vite observandum esse: quum palmitibus eam esse homogeneam, tum palmitibus eam succum vitalem suppeditare. Quum autem humana sua natura vitis Christus palmiti fideli consubstantialis sit, et quum utraque sua natura palmitibus succum vitalem suppeditet, nam etiam humanae Christi naturae unione personali vim ζωοποιητικὴν communicatam esse: dubitari non posse, quin Christus utraque sua natura fidelibus hominibus uniatur (part. III, pag. 616).

Unionem mysticam igitur, Quenst. dicit, locum habere in ordine salutis inter justificationem et renovationem, justificationem ea priorem, renovationem posteriorem esse: „quamprimum enim", inquit, „homo peccator coram Deo per fidem „est justificatus, Deus cum ipso mystice et spiritualiter unitur, „et Christus incipit habitare per fidem in corde ipsius" (part. III. pag. 614): sed, quod jam a Koenigio dictum erat, tempus unionis omnino congruere ait cum regenerationis, justificationis, renovationis tempore, nam „regeneratio", inquit, „justificatio, „unio et renovatio tempore simul sunt et quovis puncto ma„thematico arctiores, adeo ut divelli et sequestrari nequeant, „cohaerent." Nostro autem judicio regenerationem et justificationem ordine priores esse unione mystica. Quando enim in regeneratione fide donatus sit, et quando fide justificatus sit, tum demum hominem incipere cum Deo mystice uniri: priorem igitur esse regenerationem justificatione, ut homo fidem consequatur; post regenerationem sequi justificationem, quae fide fiat; deinde accedere unionem mysticam; postremo loco esse renovationem et sanctificationem; nam ex renovatione tamquam ex posteriore colligi, justificationem et unionem praecessisse (part. III. pag. 621).

Verbum et sacramenta ex parte Dei, fidem ex parte hominis instrumenta esse, quibus perficiatur et continuetur unio mystica, quae efficere velit, non ut homo, quod a Weigelianis doceatur, essentialiter convertatur, sed tantum ut imagini Christi

conformis et templum Spiritus S. fiat (part. III. pag. 618 et 631). Hanc unionem denique, Quenst. docet, ex parte Dei et Christi esse activam, ex parte hominis passivam, ita ut Christus se homini fideli uniat, fidelis autem Christo uniatur. Et quemadmodum peccatis contra conscientiam commissis homo excidere possit e gratia regenerationis, justificationis etc., ita etiam hominem e gratia unionis excidere et Christum Spiritumque S. ipsius animum inhabitantem expellere posse. Constantem igitur esse unionem mysticam ex parte Dei, sed mutabilem ex parte hominis, qui non tantum inchoandae unitioni resistere et repugnare, sed etiam inchoatam peccatis contra conscientiam commissis dissolvere possit. Divina autem virtute eam redintegrari et hominem in statum gratiae reduci posse, quando vera et seria poenitentia ad Deum redeat, venientem ad se Christum non denuo ejiciat foras (part. III. pag. 622 et 623). Haec est Quenstedtii unionis mysticae doctrina cum ceterorum orthodoxorum de hac re doctrina prorsus consentiens.

Etiam Davidis Hollazii unionis mysticae doctrina, qualem ille in „examine theol. acroam.“ *) (pag. 932—946) protulit, prorsus cum praecedentium orthodoxorum unionis mysticae doctrina consentit.

Actus gratiae Spiritus S. applicatricis ab Hollazio novem recensentur: vocatio peccatoris ad ecclesiam, illuminatio, conversio, regeneratio, justificatio, unio mystica cum Deo trinuno, renovatio, conservatio fidei et sanctitatis, glorificatio (pag. 795); sextum igitur locum obtinet unio mystica, quae, ubi explicatur, „gratia inhabitans et unio justificatorum mystica cum Deo“ vocatur.

Unio mystica ab Hollazio hunc in modum definitur: „unio mystica est actus gratiae applicatricis, quo

*) Utor editione a Romano Tellero Lipsiae anno 1763 curata.

„Deus trinunus ex speciali amore intuitu meriti „Christi vera fide apprehensi in homine renato „atque justificato velut consecrato templo prae„sentia spirituali habitat, omni plenitudine do„norum eundem implet et in ipso speciali con„cursu operatur, ut certus de praesente gratia et „futura gloria in communione cum Christo et ec„clesia perseveret, sanctificetur et aeternum sal„vetur" (pag. 932 et 933).

Doctrina ea sacri codicis verbis probatur, ut locis Joa. XIV, 23, Hos. II, 19, Eph. V, 23. 32, Joa. XV, 5. Tempus unitionis Holl. consentiens cum Koenigio et Quenstedtio congruere vult omnino cum regenerationis, justificationis, renovationis tempore, ita ut non nisi ad nostrum concipiendi modum justificatio prior, renovatio autem posterior sit unione mystica (pag. 933, 934, 935). Causam efficientem esse putat Deum trinunum, internam causam impulsivam esse specialem Dei dilectionem, externam causam impulsivam esse Christi meritum, eisque causis permotum Deum vinculo unionis mysticae cum renatis se jungere. Instrumenta, quibus utatur Deus ad id perficiendum, ex parte Dei verbum evangelii et sacramenta esse, ex parte hominis fidem. Quamquam autem jam ante coenae sacrae salutarem usum Christus fidelibus unitus sit fide, quam baptismo et verbo praedicato acceperint, tamen eandem unionem sacra coena augeri, confirmari, obsignari, atque ipsam unionem cum Christo salutari sacrae coenae usu arctiorem reddi. Quumque lutherani doctores etiam desponsationis simulacro utantur ad describendam unionis mysticae doctrinam, ita ut Christus sit sponsus, ecclesia vel quivis fidelis sponsa, Holl. hoc simulacrum commemorans Deum ait ministerio praeconum sacrorum tamquam paranymphis uti adducentibus sponsam Christo sponso. Extrema unienda esse ex una parte substantiam totius S. S. Trinitatis inclusa substantia humanae Christi naturae, ex altera parte substantiam hominis renati

corpore et anima. Communionem enim naturae divinae 2 Pet. I, 4 promissam unionem substantiae divinae supponere et inferre, propterea quod nulla communio sine unione fieri possit; et quum Christus utraque sua natura sit caput ecclesiae, fideles autem (Eph. V, 30) membra corporis Christi sint, inde consequi, fideles homines non tantum cum divina natura, sed etiam cum substantia carnis Christi in unione mystica uniri (pag. 936—938). Quod ad uniendi modum attineat, unionem mysticam non esse substantialem, ita ut ex substantia divina et humana resultet una substantia, quod a Weigelianis doceatur, sed accuratius dici unionem esse substantiarum: unione enim mystica Deum in fidelibus tamquam in templis habitare 1 Cor. III, 16, sed domicilium nunquam in incolam nec incolam in domicilium commutari; Christum unione mystica indui a fidelibus Gal. III, 27, sed indumentum nunquam essentialiter unum esse cum homine induente. Quum denique Deus ab homine recedere Spiritumque suum subtrahere possit, necessario ab anima renati essentialiter distinctum eum esse Ps. LI, 13 (pag. 939). Nec vero infinitatem et immensitatem Dei obstare, quominus propius jungatur fidelibus, quam aliis creaturis, quemadmodum non obsteterit, quominus Spiritus S. propius jungeretur columbae, quum baptizaretur Christus, quam aliis creaturis. Non igitur licere nobis dicere, ubicunque Deus substantia sua jam adsit, eo nullo modo eum posse substantia sua venire aut appropinquare, sed tantum dicendum esse, eo modo, quo jam adsit, substantia sua Deum non posse approximare. Neque posse statui, formam praesentiae gratiosae non in nova substantiae approximatione, sed in novo eoque speciali operandi modo fundari et terminari, quum novus operandi modus peculiarem essentiae divinae approximationem includat. Distinguendum igitur esse inter praesentiam generalem Dei et specialem, et quum Deus discedat ab infidelibus, tamen non infringi omnipraesentiam divinam, quum Deus generali sua praesentia non recedat ab infidelibus, sed tantum speciali sua

praesentia eos indignos habeat; nec discedere eum physice et localiter mutando locum, sed hyperphysice et illocaliter domicilium cordis conspurcatum non inhabitando (pag. 943).

Quomodo unionis mysticae doctrina a doctrina unionis formalis fidei ab Hollazio distinguatur, jam §. 1 explicatum est (pag. 943, 944).

Finem et effectus unionis mysticae varios esse, dicit Holl., communionem cum Deo trinuno, certificationem fidei, auxilii divini, efficacis solatii, excitationem precum earumque exauditionem, conservationem in statu gratiae, unde perseverantia fidelium nascatur, sanctificationem, obsignationem futurae gloriosae resurrectionis et coelestis haereditatis, unionem renatorum inter se et communionem ecclesiae. Qui enim cum Deo uniti sint, illorum in tentatione nutantium manus dextras eum apprehendere eos sustentantem, ne graviter labantur. *Ἀπιστίᾳ* denique, Holl. docet, unionem mysticam dissolvi, quia Deus illum deserat, a quo deseratur, itemque vitae impietate, quia ii, qui secundum carnem vivant, moriantur, h. e. gratiam Dei, Spiritum S., fidem amittant, (Rom. VIII, 13), quibus amissis vinculum unionis gratiosae solvatur (pag. 944—946). Haec de Hollazii doctrina sufficiant.

§. 11.
De Spenero.

Sub finem saeculi XVII jam alia schola theologica orta magnamque in ecclesia lutherana vim adepta erat, quae religioni christianae scholasticis orthodoxiae formulis dogmaticis coercitae novam vitam, ut ita dicam, inflare eamque novis viribus corroborare voluit, pietismum, quem vocant, dico vehementer ab orthodoxis oppugnatum, cuius sectatores serio affirmabant, religionem christianam non doctrina sola, i. e. dogmatibus christianis contineri, sed etiam vita vere christiano

homine digna opus esse, quique idcirco sinceram animi pietatem a vere christianis hominibus flagitabant.

Primarius pietismi auctor Philippus Jacobus Spenerus fuit, senior evangelici ministerii Francofurtensis, deinde concionator aulicus Dresdensis, denique consistorii Berolinensis praepositus († 1705), qui theologiam dogmaticam in concionibus docuit, quibus hic titulus inscribitur: „Die evangelische „Glaubenslehre in einem Jahrgang der Predigten ..... anno „1687 ..... vorgetragen ..... mit zu Ende angehängtem kür„zeren Auszug eines ..... anno 1680 gehaltenen Jahrgangs. „Frankfurt a. M. 1688." Judicia, quae praecipue interrogatus de rebus ad religionem christianam pertinentibus in litteris responsoriis scripsit, duobus libris continentur, quorum alter a Spenero ipso collectus hunc titulum habet: „Theologische Be„denken und andere briefliche Antworten auf geistliche sonderlich „zur Erbauung gerichtete Materien ..... Halle 1702", alter post Speneri mortem ab eius haeredibus editus inscribitur „con„silia et judicia theologica latina. Opus posthumum ex eiusdem „litteris singulari industria ac fide collectum...... Francof. „ad Moen. anno 1709." Praeterea huc pertinet libellus quidam, quem Spen. anno 1678 vel 1679 in publicum edidit hoc titulo: „Erklärung des Verstandes 1) der von dem seligen Luthero „gebrauchten Formul, daß ein Gläubiger sagen könne: „Ich bin „Christus ꝛc." Scripserat enim hunc libellum rogatus ab amico quodam Halberstadiensi anno 1678, ut ad Joa. Cunr. Schneideri, concionatoris Halberstadiensis, theses adversus ipsum propositas responderet; amicus autem ille male abusus Speneri facilitate librum titulo et praefatione auctum inscio et invito Spenero typis excudendum dederat, quo facto Spen. moleste ferens imprudentiam amici, qui ipsum invitum in certamen litterarium antea diligenter vitatum protrusisset, alia praefatione alioque titulo adjecto ipse librum edidit omisso Schneideri nomine*),

*) Consil. et judic. lat. part. III, pag. 207, 290, 291.

quae genuina libri editio mihi ad manus est. Eodem tempore alius exstitit adversarius Speneri, qui, quum se Balthasarem Rebhanum nominaret, Spenero*) visus est esse Geo. Cunr. Dilfeldus, diaconus Nordhusanus, a quo Spen. se enthusiastam neque omnino purum theologum appellari queritur**). Et ab hoc et a Schneidero defendit Spenerum Amersbachius quidam collega Schneideri, qui ficto nomine Henrici Hansenii usus***) scripsit librum hoc titulo: „Rettung der reinen Lehre „DD. Lutheri, Meisneri, Speneri und andrer, welche lehren, „daß aus einem Christen und Christo gleich als eine Person „würde, daher ein gläubiger Christ wohl sagen könne: Ich bin „Christus; Gott zu Ehren und frommen Christen zum Trost, „Satan aber zum Trotz, und sonderlich dem sogenannten Bal- „thasar Rebhan als einem Erzlästerer das Maul zu stopfen, „und dann nicht weniger Hn. Johann Conrad Schneidern, Pre- „digern im Dom zu Halberstadt, seine hiebevor von diesem Punkt „herausgegebne Theses zu examiniren, aufgesetzet und in den „Druck gegeben von Henrico Hansen, M. J. U. D., Frankfurt „am Main", de qua apologia Spen. ipse judicat, debere se quidem gratias bonae hominis officiosi voluntati, sed malle tamen, abstinuisset defensione, quum et contra Amersbachium stent multa collegia, quorum ex invidia sibi jam nunc laborandum sit, quasi in omnibus rebus cum Amersbachio consentiat, et suam quisque opinionem atque sententiam ipse semper possit alio melius et explicare et defendere (Consil. lat. part. III, pag. 291. Theolog. Bedenken part. III, pag. 297).

In Speneri scriptis unionis mysticae doctrinam eodem modo explicari videmus, quo a prioribus et aequalibus orthodoxis explicatur, ut praecipue theologiae dogmaticae, quam

---

*) Theolog. Bedenken part. III, pag. 273.

**) Theolog. Bedenken part. III, pag. 253, 319, 373. Consil. lat. part. III, pag. 207.

***) Consil. lat. part. III, pag. 291.

appellat, „Die evangelische Glaubenslehre in einem Jahrgange „von Predigten“, in ea concione, quae die festo primo pentecostae anni 1687 habita est de verbis sacri codicis Joa. XIV, 23—31 (pag. 657—676).

In huius concionis introitu Spen. de Spiritus S. munere loquitur, unde mihi ordo salutis deduci posse videtur. Sic enim dicit: Es bestehet aber die Wirkung des heiligen Geistes „vornehmlich darin, daß er zu der Gnade durch sein Wort beruft „und in Gottes Namen dieselbige denjenigen anerbeut, welche in „rechter Ordnung sie annehmen würden [vocationem dicit], „daß er sie durch das Gesetz und dessen Strafpredigt ihrer „Sünden überzeugt und wo sie seiner Wirkung Platz geben, bei „ihnen Buß, Reu und Leid wirket [conversionem et poe„nitentiam], sodann auch das Licht des Glaubens in den „Seelen entzündet [illuminationem], dadurch dieselben wieder„gebiert [regenerationem], solchem Glauben die Gerechtigkeit „Jesu Christi zueignet und dieselbe ergreifen lehrt [justifica„tionem], nachmal die neue Natur, so in der Wiedergeburt „gewirket worden, nicht nur erhält [conservationem], son„dern immer durch mehrere Schwächung des alten Menschen „und Reinigung von dessen Verderbniß, hingegen Stärkung der „neuen Kräfte dessen Wachsthum befördert und also die Heiligung „fortsetzet [renovationem et sanctificationem]: sonder„lich aber auch, daß er die Glaubigen mit ihrem Gott so ver„einiget, daß er nicht nur bei ihnen wohnet, sondern auf eine „geistliche Art mit ihnen eins wird, welches die geistliche Ver„einigung heißt [unio spiritualis seu mystica] (Glaubensl. „pag. 658).“ Unio mystica hanc solum ob causam in fine ponitur, quod ea in hac concione, quae in una illa versatur, singularem locum obtinet; in salutis ordine, ut mihi quidem videtur, ponenda est inter justificationem et conservationem, quum et ei soli, qui vera fide a peccatis liberati et cum Deo expiati sint, i. e. justificati huius unionis participes fieri dicantur, et perseverantia seu conservatio, renovatio, sanctificatio inter

unionis effectus numerentur. Quamobrem Speneri ordo salutis hic videtur esse: vocatio, conversio et poenitentia, illuminatio, regeneratio, justificatio, unio mystica, conservatio, renovatio, sanctificatio. Neque tamen semper Spen. eundem ordinem salutis sequitur, sed singulos terminos aliis locis quum latius tum angustius interpretatur.

Definitionem quidem unionis mysticae Spen. non profert, sed tamen singula momenta in unione mystica observanda accuratissime explicantur et pertractantur.

Causam efficientem Deum trinunum esse dicit, qui verbo et sacramentis ad unionem efficiendam instrumentis in hominibus justificatis utatur, quae eadem instrumenta sint ad omnem salutem adipiscendam. Quum autem praedicatoribus et verbi divini ministris opus sit ad audiendum verbum divinum et ad accipienda sacramenta, eos hanc ob causam adjuvantes esse ad adipiscendam illam spiritualem unionem et quasi paranymphos adducentes sponsam, ecclesiam et singulos fideles homines ad sponsum Christum, quo eodem simulacro jam Hollazius usus erat. Hominibus autem sola fide opus esse ad unionem adipiscendam (Eph. III, 17, Gal. II, 20); quam quum afferant homines, quum cetera omnia eis bona divina atque beneficia ea sola effici, tum hoc praecipuum atque singulare munus unionis arctissimae et perfectissimae cum ipso Deo optimo maximo, unico vero summoque hominum bono, ad quod cetera omnia Dei beneficia denique referantur, et in quo uno omnis nostra beatitudo contineatur. Atque hanc si quis neget unionis doctrinam, eum omnem christianam et apostolicam theologiam dirimere putat, quum homines nihil possint boni facere, nisi Christus eos inhabitet et in eis operetur (Glaubensl. pag. 665—667. Theol. Bedenken part. I. pag. 190. part. III. pag. 267). Uniri autem totam S. S. Trinitatem inclusa humana Christi natura cum hominum fidelium animis et corporibus, usitatis sacri codicis locis confirmat (Joa. XV, 5—7, 1 Cor. III, 16, VI, 19). Praeterea de humana Christi natura cum

fidelibus hominibus unienda testimoniis utitur Eph. V, 30, 1 Cor. VI, 15, Joa. XV, 5., quibus locis de ea Christi natura, qua nobis par sit, agi, pro certo affirmat consentiens hac in re cum Quenstedtio. Atque etiam corpus hominis huius unionis particeps fieri, concludit ex 1 Cor. VI, 19 et 20 (Glaubensl. pag. 667 et 668). Neque generali illa praesentia, qua Deus omnibus creaturis adsit eas conservando, contineri putat hanc unionem et inhabitationem, neque in eo tantum consistere, quod dona gratiae divinae et eius effectus in fidelibus sint atque habitent, sed revera Dei essentiam cum nostra essentia ita uniri, ut Deus peculiari quodam et singulari modo in aliquibus hominibus sit, quo non sit in aliis ullis hominibus. Neque tamen hac unione aut divinam et humanam substantiam commisceri, aut alteram in alteram commutari, quod doceat Weigelius, sed tantum substantiam divinam et humanam inter se ipsas unitas esse communione quadam singulari (Glaubensl. pag. 668 et 669. Theol. Bedenken part. III, pag. 267 et 268). Cuius unionis atque communionis rationem plane singularem ut accuratius atque subtilius explicet, ferri igniti exemplo utitur. Ut enim neque ferrum in ignem mutetur vel ignis fiat, neque ignis in ferrum mutetur, neque ignis cum ferro commisceatur, sed et ferri vel minimae particulae ferrum maneant, et ignis, quamvis in ferro sit idque omnino impleat et penetret, tamen ignis maneat: sic etiam immensum discrimen inter Dei infinitam et hominis finitam substantiam manere neque unquam alteram in alteram commutari. Hominem autem prorsus a Deo repleri et recte dici Deum et hominem fieri unum aliquod mysticum, unum spiritum (1 Cor. VI, 17); sed quomodo hoc fiat, humano intellectu comprehendi non posse (Glaubensl. pag. 669 et 670). Fructus denique et effectus unionis mysticae hos esse dicit Spen.: primum communicationem beneficiorum coelestium. Ut enim ignis cum ferro calorem et splendorem communicet, ita etiam Deum cum homine ab ipso inhabitato bona sua divina communicare, et praecipue Christum

inhabitatione sua ita uniri hominibus fidelibus omnia sua bona et merita eis donantem, ut homo fidelis cum Christo unitus quasi cum eo mortuus, resurrectus, in coelum sublatus sit, quum homines fideles membra capitis Christi sint, et quum ea, quae faciat caput, membris tribui possint (Rom. VI, 3—5, Joa. XVII, 24). Quum autem Deus fidelibus donet dona sua divina, ipsum etiam a fidelibus alia dona accipere, quod fiat, quum Deus et Christus in se collata esse dicant, quae quis hominibus fidelibus aut bene aut male fecerit (Matth. XXV, 35. 42, Act. IX, 4). Alterum unionis cum Deo fructum esse perpetuum incrementum novi hominis et sanctificationis (Eph. III, 16—19), indeque multos bonorum operum fructus sequi, quae opera Dei et Christi et Spiritus S. nos inhabitantium sint (2 Cor. XIII, 3, Joa. XV, 4 et 5). Tertium unionis illius fructum esse perseverantiam in statu bono, quum futurum sit, ut homo mox e statu gratiae excidat, nisi Deus et Christus eum inhabitet, itaque ei perseverandi vim donet (1 Pet. I, 5, Eph. III, 17, 1 Joa. III, 24). Quartum fructum esse obsignationem futurae gloriae et futurae resurrectionis ad vitam aeternam. Quum enim Deus ipse aeternus aeternam beatam vitam degat, etiam eos, quos inhabitet, huius aeternae vitae participes fieri debere (Joa. VI, 54—56, Rom. VIII, 10 et 11). Quintum denique unionis cum Deo fructum unionem fidelium inter se esse, quum unus Deus et unus Christus cum omnibus unitus sit et eos inhabitet (Eph. IV, 15 et 16. Joa. XVII, 21—23). (Glaubensl. pag. 670—673). Hanc autem unionem, quae quasi corona sit effectuum gratiae Spiritus S., hunc summum honorem, hanc beatitudinem, qua majorem nullam homini christiano liceat attingere, perdi atque amitti posse, si homo jam justificatus, quem Deus inhabitet, denuo mundi vanitatem amplecti et peccare coeperit; tum enim homines antea arctissime cum Deo conjunctos amissa Dei imagine separari ab eo: et tamen homines, qui exciderint e gratia, denuo cum Deo uniri posse, si denuo omnia peccata abluerint

et veram justitiam induerint (Glaubensl. pag. 674 et 675. Theol. Bedenk. part. I, pag. 190 et 191). Neque tamen eos, quibuscum Deus unitus sit, hac unione mystica semper felices et beatos in hac vita esse, sed potius, quo magis Deus inhabitet, eo magis satanam eos infestare suis ipsius et mundi tentationibus (Glaubensl. pag. 662).

Sic in unionis mysticae doctrina cum ceteris orthodoxis prorsus consentit Spen., cuius tamen pietismus in eo perspicitur, quod multo accuratius quam priores fructus unionis mysticae tractat et id prae ceteris observari vult, hanc mysticam unionem id esse bonum, quo majus nullum in hac vita homo justificatus assequi possit, quamquam, quo magis in hac unione seriis precibus sacramentorumque usu crescat, eo magis a satana tentetur et oppugnetur.

Multis scriptorum suorum locis, et in suis „Theol. Bedenken" et in „consiliis et judiciis theologicis latinis" et per totum libellum, „Erklärung des Verstandes 1) der von dem sel. Luthero gebrauchten Formul, daß ein Gläubiger sagen könne: Ich bin Christus ꝛc.", Spen. de verbis a Luthero in commentario de epist. ad Gal. II, 20 usurpatis, „ego sum Christus", loquitur, quibus verbis ipse in concione de Joa. I, 20 usus multos adversariorum clamores atque etiam contumelias excitaverat. Exponit enim identidem, quomodo intelligi velit haec verba, quae dicit esse paradoxon, „quod aliud in recessu habeat, quam quod prima fronte promittat", hunc in modum. Cavendum esse ait, ne quis eis utatur, nisi adjiciat continuo accuratam explicationem, ac ne se quidem eis unquam aut usquam usum esse, nisi semel in illa concione, scilicet ut Lutherum defenderet a papistis propter hanc phrasin vehementer oppugnatum. Quum autem non proprie dicta sint illa verba, ne accipienda quidem esse ut proprie dicta nec ad verbum interpretanda. Sed quemadmodum ipsius sacri codicis verba quaedam, ut Gal. II, 20, ubi Paulus dicat, jam non se, sed Christum in se vivere, quasi se vivere neget, aut Act. IX, 4, ubi ipse

Christus Paulum christianos homines persequentem appellet: „quid me persequeris?“, non ad verbum, sed ad sensum interpretanda sint: ita etiam hoc Lutheri dictum in eam partem accipiendum esse, ut videatur dicere voluisse, non modo Christi vim et animum, sed ipsum Christum revera cum hominibus fidelibus uniri, ut non minus vere eius membra sint, quam ipse eorum caput sit, et ut non una persona quidem fiant, sed tamen unum corpus mysticum ac spirituale. Inter Deum igitur et creaturam vel fideles homines infinitum discrimen manere, ita ut duae substantiae, non una substantia, sed tamen arctissime inter se unitae sint (Theolog. Bedenken, part. III, pag. 302 et 303. 347, part. IV, pag. 49. Consil. lat. part. I, pag. 138, 140, 141). Neque tamen solius mysticae unionis doctrinam his Lutheri verbis contineri, vult Spen., sed imprimis etiam, dicit, formalem fidei unionem, ad quam solam ea verba referre Hollazium, jam §. 1 diximus, explicari his verbis, vel, ut Spen. appellat, „imputationis mysterium“; dicit enim: „porro explicavi, illam *φράσιν* non tantum de unione mystica, sed imprimis de imputationis mysterio, in quo sicuti Christus factus est peccatum et peccator loco nostri, atque ita, ut B. Lutherus dicit, coram divino judicio Christus fuit hic peccator, id est eius loco judicium subiit, ita nos vicissim reddimur ille justus, qui justitia sua divinae legi satisfecit. Paucis, rem ipsam, nimirum quod justitia Christi ipsa, non vero eius fructus aliquis et operatio, sit nostra justitia et coram Dei tribunali nos salvet; tum quod unio mystica sit arctissima atque faciat, ut, quae nos patimur, certo modo sibi appropriet Christus, quae agimus in nobis operetur, semper tuebor, quoad vivam, quum in ea argumentum totius evangelii consistat et fons sit omnium solatiorum“ (consil. lat. part. I, pag. 142).

§. 12.

Priora comprehenduntur atque dijudicantur.

Quoniam igitur, quid singuli doctores lutherani de unione mystica cogitarint et judicarint, quam accuratissime exposuimus, nunc respiciamus ea, quae superioribus capitibus congessimus, repetamusque paucis, quo tempore et quomodo orta sit unionis mysticae doctrina, et qui sit eius progressus usque ad saeculi XVII finem; quo facto restabit, ut nostram de hac doctrina sententiam proferamus.

Prima igitur vestigia unionis mysticae, quae est approximatio substantiae divinae ad hominis fidelis substantiam, anno **1618** apud Justum Feurbornium, Giessensem professorem theologiae, invenimus. Nam per totum XVI. saeculum ab omnibus orthodoxis doctoribus lutheranae ecclesiae inde a Luthero usque ad Hutterum, Dietericum, Gerhardum nulla alia de praesentia Dei in fidelibus hominibus doctrina profertur, nisi ea, quam saeculo XVII etiam Jenenses et Helmstadienses theologi praecipue defendunt: Deum, cuius substantia immensitate et infinitate sua in omnibus creaturis praesens sit, qui etiam in omnibus creaturis operetur, eodem quidem modo substantia sua omnibus creaturis praesentem esse, sed alio modo in aliis operari, quum in omnibus creaturis eas conservando et gubernando, quamdiu velit, operetur, sed in fidelibus hominibus praeter conservationem et gubernationem etiam gratiose operetur eos illuminando novosque sibi placentes motus in eis excitando. Haec igitur orthodoxorum saeculi XVI doctorum sententia saeculo XVII transformata est in eam, quae postea fuit orthodoxa unionis mysticae doctrina, quum adjiceretur ad priorem doctrinam approximatio substantiae divinae, ita ut Deus in hominibus fidelibus non, ut priores docuerant, eodem modo, quod ad substantiam eius

attinet, adesse diceretur et tantum alio modo in eis operari, sed ut eum in hominibus fidelibus etiam substantia sua alio quodam propiore modo adesse dicerent, praeterquam quod gratiose operaretur. Hanc doctrinam Feurbornius et Mentzerus, theologi Giessenses, in disputationibus cum theologis Tubingensibus primi protulerunt; amplexi sunt eam theologi Saxonici electorales jam anno 1624; quorum quum summa esset auctoritas apud lutheranos, doctrina haec nova in numerum orthodoxarum doctrinarum ab eis recepta, etiam latius vagata ab aliis quoque multis theologis lutheranis probata est, quorum singuli eam in libris dogmaticis ut orthodoxam docuerunt. In his fuit Casp. Erasm. Brochmandus, theologus Hafniensis, qui quamquam hanc unionem nondum inter gradus, quibus salus in singulis perficiatur, numerat, tamen jam singulari libri sui articulo de „unione fidelium cum Christo" agit, quo articulo unionis mysticae doctrina profertur. Certum vero locum in ordine salutis huic unioni mysticae primus dedit Joannes Hülsemannus, theologus Lipsiensis, qui tamen renovationem et confirmationem sacrae coenae usu effectam ei praemisit, qui duo gradus salutis apud posteriores dogmaticos scriptores unionem sequuntur. Neque vero adhuc nomen illud constabat: nam etsi unionem mysticam jam ante Feurbornium commemorari videmus ut ab Aeg. Hunnio et Joa. Gerhardo, hi tamen eo nomine nihil designant, nisi gratiosam illam Dei in fidelibus hominibus praesentiam, quae ante Feurbornium ab omnibus orthodoxis docetur, a praesentia generali sola operatione distinctam. Ac ne illi quidem, qui novam hanc unionem mysticam excogitarunt aut amplexi sunt, eo nomine ut proprio eius rei utuntur sed passim tantum; plerumque novam rem aut praesentiam specialem gratiosam vocant aut unionem fidelium sive justificatorum cum Christo. Primus unionis mysticae nomine ut proprio atque primario usus est Joa. Frid. Koenigius theologus Ro-

stochiensis, apud quem „unio credentium mystica cum Deo“ in ordine salutis justificationem sequitur. Hic praeterea jam absolutam quandam atque perfectam habet unionis mysticae doctrinam circa annum 1664; et quae apud posteriores singularia in ea doctrina inveniuntur, non ad ipsam doctrinam pertinent, sed aut ad formam eam, qua profertur, ut Abraham Calovius tripartitam fecit, aut ad modum, quo singulae doctrinae partes defenduntur, qui alius apud alios est.

Definitur igitur unio mystica ab orthodoxis doctoribus ita: est approximatio substantiae Trinitatis inclusa humana Christi natura ad substantiam totius hominis fide justificati cum operatione Dei gratiosa in homine justificato conjuncta a generali illa Dei praesentia, qua propter immensitatem et infinitatem substantiae suae omnibus creaturis Deus adest, non tantum aliis operationibus, verum etiam alio substantialis praesentiae modo vere distincta, substantiis utriusque uniendae partis salvis et integris manentibus, ita ut duae substantiae nec in unam substantiam uniantur, nec altera in alteram commutetur seu transformetur. Qualis igitur sit status eius, cuius substantia cum substantia divina hac unione et appropinquatione unita sit, verbis rem ipsam describentibus non potest explicari, sed omnes eum per varias circumscriptiones negationum ita explicant, ut medium quendam haec unio locum obtineat inter generalem Dei substantialem praesentiam in creaturis adjecta modo speciali operatione, quae parum habet, et unionem substantialem Weigelianam, qua ex duabus substantiis una fit, quae nimium habet.

Merito autem Joannes Musaeus et Georgius Calixtus hanc orthodoxam de unione mystica doctrinam refutaverunt dicentes, Dei immensi et infiniti substantiam alii creaturae propiorem esse non posse, quam alii. Nam appropinquare

Dei substantiam ad aliquam creaturam adversatur eius immensitati et infinitati. Ubi enim appropinquatur, certe antea intervallum fuit inter id, quod appropinquat, et id, ad quod appropinquatur, quod intervallum hac appropinquatione vel tollitur vel saltem minuitur. Sine aliquo intervallo, etiamsi minimum sit, appropinquatio cogitari nequit. Si autem Dei substantia appropinquare potest ad alicuius creaturae substantiam, sane inde consequitur, intervallum antea fuisse inter Dei substantiam et creaturae illius substantiam; unde porro consequitur, locum aliquem esse, quem non penetret Dei substantia et impleat, locum scilicet illius intervalli, quod est inter Dei et creaturae substantiam. Si autem locus aliquis cogitari potest, quem non impleat et penetret Dei substantia, fines quosdam substantiae divinae statui necesse est, quibus finibus arceatur Dei substantia ab loco illo, quem non penetret. Quod autem finibus coercetur, finitum est, non infinitum. Si igitur Dei substantia alicui creaturae appropinquare potest, consequitur sane, eam non infinitam, sed finitam esse. Deus autem absolutus, nullis nec temporis nec spatii finibus coercitus, infinitus ubique est et omnia, quae sunt, necessario penetrat et implet nec probari potest eum rebus creatis esse coercitum et finitum, qualis si esset Deus, non esset absolutus et perfectus. Haec autem Dei propinquitas, qua omnes creaturas penetrat et implet, generalis Dei in creaturis praesentia vocatur, quae, si vera naturae Dei absoluti consentanea propinquitas est, sane neque intervallum inter Dei et ullius creaturae substantiam neque appropinquationem divinae substantiae ad ullius creaturae substantiam admittit, nisi Deum infinitum et absolutum esse negabis. Pugnat igitur, ut hic demonstratum est, appropinquationis substantiae divinae ratio prorsus cum natura Dei, et si Deus revera infinitus et absolutus est, eius substantia nulli potest creaturae propior esse, quam ceteris omnibus creaturis; quae si accurate perpenduntur, doctrina lutherana de unione mystica, quae sit approximatio substantiae divinae ad fideles,

prorsus repudianda est. Respondent orthodoxi lutherani, ut Hollazius, Dei substantiam, quum adsit in omnibus creaturis praesentia generali, eodem quidem modo, quo jam praesens sit, nec appropinquare nec recedere posse, sed alio modo atque eo, quo jam adsit, Deum appropinquare posse ad eas creaturas, quibus jam ante praesens sit, qua nova appropinquatione propior fiat Dei substantia ei, cui jam adsit, quam aliis omnibus, quibus hoc modo non sit unitus: quod omnino negandum est, quum hac interpretatione duplicetur Dei substantia in quibusdam creaturis, fidelibus scilicet hominibus, quod nullo modo concedi potest.

Deinde quod humanae Christi naturae substantiam non minus cum fidelibus hominibus uniri, quam divinam ejus naturam, orthodoxi lutherani docent, respondendum est: si corpus Christi, postquam sublatus est in coelum, verum corpus mansit, neque lutherana de ubiquitate corporis Christi, quam vocant, doctrina neque doctrinae de unione mystica haec pars concedi potest, quum humana natura omnipraesens vel saltem in omnibus justificatis, ubicunque sunt, praesens desinat esse vera humana natura, quippe certis, ut veri hominis proprium est, finibus circumscripta. Verum autem corpus eodem temporis momento multis locis, scilicet in omnibus fidelibus hominibus praesens esse non poterit, nisi, quin verum humanum corpus sit, in dubium vocetur. Rejicienda igitur mihi etiam haec doctrinae de unione mystica pars videtur.

Quum autem doctrina lutherana ad confirmandam unionis mysticae doctrinam multos sacri codicis locos afferat, praecipui horum locorum observandi sunt, ut videamus, quomodo eos interpretemur. Utuntur autem orthodoxi praecipue his locis: Joa. XIV, 23. XV, 4—7. 1 Cor. III, 16. VI, 17. 2 Cor. VI, 16. XIII, 5. Gal. II, 20. Eph. I, 22 et 23. II, 22. III, 17. V, 23. 2 Pet. I, 4. 1 Joa. IV, 13.

Omnes hos locos orthodoxi lutherani doctores ad verbum interpretantur et docent, ubi Deus vel Christus vel Spiritus S.

venire, mansionem facere, inhabitare dicatur, his verbis semper novam substantiae Dei vel Christi vel Spiritus S. appropinquationem cum speciali operatione conjunctam describi: quod fieri nequit, quum hac interpretatione, Deum infinitum esse, negetur et concedatur Deum in loco aliquo esse, unde ad justificatos homines veniat, quod concedi non potest. Constanter igitur ea talium locorum interpretatio retinenda est, quam jam protulit ad Joa. XIV, 23 Fulgentius (l. II ad tr. reg. c. 3)*) dicens: „pater, filius et Spiritus S. noverunt sic venire, sic abire, ut nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco discedant. Omnia implet Trinitas, omnia continet: illi venire dicitur, cui se manifestare dignatur, et ab illo discedit, a quo lumen suae dilectionis abscondit: nec tamen localiter absens efficitur, quum juste relinquit indignum: nec loco praesens efficitur, quum misericorditer visitat, quem fecit dignum.“ Quum enim, quod jam a Musaeo dictum est, humanus noster intellectus ipsam Dei substantialem praesentiam, cuius nihil, ubicunque est, nec est expers nec potest esse, non immediate sentiat, sed solum cogitando intelligere possit, et quum humanus intellectus specialem Dei in quibusdam operationem immediate sentire et intelligere possit, sacer codex, ut saepe sic etiam hic humanum concipiendi modum sequens, ubi Deus novo modo in aliquo homine operatur, Deum ad hunc hominem venire dicit, et si haec operatio Dei manet, habitare et ambulare Deum in homine dicit; in quorum sacri codicis locorum interpretatione cavendum est, ne Deus humano more venire, abire, habitare, ambulare, appropinquare putetur, quem errorem anthropopathismum vocant.

Si autem locus Joa. XV, 4—7, ubi auctor simulacro vitis et palmitum utitur ad describendam unionem inter Christum et homines fideles, qui locus praecipue accitur, ut confirmetur, Christi etiam humanam naturam cum fidelibus hominibus sub-

*) teste Hollazio, exam. theol. pag. 935.

stantialiter unitam esse, si hic locus prorsus ad verbum explicatur, eodem jure, quo hoc simulacro unionis mysticae doctrina confirmatur, etiam Weigelii ab orthodoxis lutheranis doctoribus maxime condemnata doctrina, Dei et Christi substantiam ita hominum substantiae uniri, ut ex duabus una fiat substantia, confirmari potest. Neque enim minus recte concluditur, quia substantia vitis cum substantia palmitum ita unita sit, ut vitis et palmitum substantiae unitae non duae, sed una substantia sint, etiam vitem, Christum θεάνθρωπον, cum palmitibus, fidelibus hominibus, hoc modo uniri, ut ex Christi θεανθρώπου et hominum fidelium substantiis unitis una fiat substantia: quae tamen verbum sacri codicis sequens conclusio a lutheranis repudiatur.

Quum igitur sacer codex unionem orthodoxorum lutheranorum mysticam non doceat, nisi litteras tantum sacri codicis, non eius sententiam spectamus, operae pretium mihi videtur esse, exquirere, quo consilio a lutheranis orthodoxis XVII. saeculi doctoribus priorum veterum doctorum doctrina de gratiosa Dei in fidelibus hominibus praesentia hunc in modum transformata sit; quod ita potissimum perspici potest, si respicitur in singulorum doctorum doctrina id, quod unionis mysticae finem vocant. Omnes autem fere, qui docent unionem mysticam, „finem“ eius esse dicunt „certiorationem et certificationem hominis fidelis de perpetua Dei assistentia, conservationem in statu gratiae, obsignationem certitudinis resurrectionis et glorificationis futurae“,*) et Königius, quum omnium ceterorum actuum gratiae Spiritus S. applicatricis finem vel aeternam salutem vel gloriam Dei aeternam vel proximos quosque actus gratiae Spiritus S. applicatricis esse dixerit, solius unionis mysticae hunc finem, quem supra commemoravi, esse

*) cf. Hülsem. extens. breviar. pag. 371, Koen. theol. posit. acroam. pag. 212, Calov. syst. locor. theol. tom X. pag. 507. 530. 532, Masii despons. fidel. c. Chr. pag. 21 et 22, Holl. exam. theol. acroam. pag. 944, Spen. Glaubenslehre pag. 672.

dicit, unde consequi mihi videtur, unionem eo consilio a lutheranis doctoribus prolatam esse, ut certitudo salutis confirmetur et corroboretur fidelesque in statu gratiae perseverent, neve dubitent de certitudine salutis suae: mox enim fore, Spenerus ait (Glaubensl. pag. 672), ut e statu gratiae excidant homines, nisi Deus in eis inhabitarit et hac inhabitatione vim perseverandi eis donarit. Eodem consilio, quo, ut mihi videtur, a lutheranis doctoribus unionis mysticae doctrina docetur, ut fideles certi fiant de aeterna Dei in eos gratia, et confirmentur in statu gratiae, a reformatis doctoribus docetur, sanctos doni perseverantiae in fide participes esse, quo efficiatur, ut vere regenerati et justificati nunquam penitus e gratia Dei excidere possint, sed usque ad finem („finaliter") in ea permaneant. Si autem unionis mysticae est, hominem fidelem in statu gratiae confirmare et conservare, possimus existimare, eam, ut revera hoc efficiat, perdi non posse, ut apud reformatos fides perdi non potest. Hoc autem, si a lutheranis doceretur, cum ea lutherana doctrina, qua omnis salus perdi potest, pugnaret, quamobrem etiam unionem mysticam peccatis contra conscientiam commissis perdi, perditam autem unionem mysticam vera poenitentia et fide denuo redintegrari docent.

Neque vero sine aliqua necessitate doctores illi lutherani ad unionis mysticae doctrinam proferendam videntur accessisse. Nam quum prioribus theologis lutheranis, ipsos dico reformatores, Melanchthonem praecipue et eius sectatores, nondum opus fuisset eiusmodi confirmatione evangelicae de salute certitudinis, ea doctrina lutherana, quae prodiit post formulam concordiae publicatam, ut firmaret salutis certitudinem evangelicam, hunc novum gradum in ordine salutis, qui justificationem sequeretur, sanctificationem antecederet, necessario quodam modo videtur addere debuisse. Reformatoriae enim aetatis theologi sola et ipsa justificatione certitudinem salutis fundabant. Doctores illi post formulam concordiae publicatam

justificationis notionem eum in modum mutarunt, ut sola justificatione idem efficere jam non possent. Quam enim Melanchthon descripsit justificationem, ea non extra hominem, sed in homine perficitur, homo non modo justus putatur et pronuntiatur, sed homo peccator poenitens revera ex injusto justus efficitur, revera regeneratur*). Qua justificatione quum etiam sacra et justa Christi vita communicetur et contineatur, necesse est, eam initium esse novae et justae vitae; nec vera potest esse justificatio, nisi in ea sit initium sanctificationis ita, ut ipsa justificationis notio corrumpatur et desinat vera esse justificatio, si ab ea dirimatur et tollatur incipiens sanctificatio**). Et quoniam non extra hominem peccatorem poenitentem, sed in eo perficitur, quumque peccator homo poenitens ea justificatione non modo justus pronuncietur, sed revera justus fiat et immutetur incipiente sanctificatione non separabili a justificatione, homo peccator poenitens dubitari nequit, quin justificationem et salutem a Christo partam possideat, neque ei opus sit ad confirmandam certitudinem salutis evangelicam ea confirmatione, quae in unione mystica ponitur.

---

*) Libri symbol. eccles. evang. rec. C. A. Haase. Lips. 1837. Apol. Conf. August. pag. 73: „Et quia justificari significat ex injustis justos effici seu regenerari, significat et justos pronuntiari seu reputari.“ — Heppe, die Bekenntnißschriften der altprotestantischen Kirche Deutschlands. Cassel 1855. Confess. Saxon. pag. 422: „In declaratione vocabuli justificari usitate dicitur: justificari significat ex injusto justum fieri, quod recte intellectum congruit, ex injusto, i. e. reo et inobediente et non habente Christum, fieri justum, i. e. absolutum a reatu propter filium Dei et apprehendentem fide ipsum Christum, qui est justitia nostra.“

**) Conf. Saxon. pag. 435: „semper in justificatione simul fit inchoatio novitatis“. — Brenzius, Apol. Conf. Wirtemb. Francof. 1558. pag. 288: „Quicunque enim per fidem in Christum justificatur pro hebraea loquendi consuetudine, h. e. absolvitur coram tribunali Dei a peccatis et adoptatur in filium Dei propter Christum, is etiam statim justificatur pro latina loquendi consuetudine, h. e. excitatur a Spiritu S., ut non solum detestetur opera carnis et fugiat peccata, verum etiam faciat opera justitiae et ambulet in lege Domini obedienter.“

Ii autem doctores, qui post formulam concordiae publicatam lutheranam doctrinam docuerunt, ita mutaverunt priorem justificationis notionem, ut nihil esset nisi actus Dei judicialis sive forensis, qui consisteret in remissione peccatorum et imputatione justitiae Christi *). Haec igitur justificatio non in homine fit, quae fuit reformatoria doctrina, sed extra hominem peragitur, nec homo revera justus efficitur ex injusto, sed aestimatur tantum, declaratur, pronuntiatur justus, ita ut nullo modo jam in ipsa justificatione homo poenitens incipiente sanctificatione mutetur, sed ut sanctificatio omnino separanda sit a justificatione **). Quam quum diremissent a justificatione, fieri non potuit, quin justificationem ordine priorem, sanctificationem posteriorem facerent, ut perfecta jam omnino justificatione tum demum incipere sanctificationem dicerent, ipsa concordiae formula ***) pro testimonio utentes. Sed ita

---

*) Quenst., theol. didact. polem. part. III. pag. 524: „consistit justificatio nostra coram Deo in remissione seu non-imputatione peccatorum et imputatione justitiae Christi". — Holl., exam. theol. acroam. pag. 893: verbum justificare . . . . non sumitur sensu physico, sed forensi sive judiciali. Neque enim significat, habitum justitiae alicui infundere aut infusis qualitatibus aliquem justum facere, sed peccatorem a reatu culpae et poenae certis de causis absolvere et justum aestimare, declarare, pronuntiare;" et pag. 911: „justificatio absolvitur duobus actibus, privativo et positivo. Ille est non-imputatio seu remissio peccatorum, hic est imputatio justitiae Christi."

**) Holl. exam. theol. acroam. pag. 928: „Justificatio est actus judicialis isque gratiosus, quo Deus satisfactione Christi reconciliatus peccatorem in Christum credentem ab objectis criminibus absolvit et justum aestimat atque declarat. Quae actio quum sit extra hominem in Deo, non potest hominem intrinsece mutare. Sicut igitur debitor, pro quo alius debitum dissolvit, ut liber a debito censeatur, non intrinsece, sed extrinsece ratione status mutatur: ita peccator, qui ob satisfactionem Christi vera fide applicatam a peccatis liber reputatur et pronuntiatur, non mutatur intrinsece, sed extrinsece ratione melioris status."

***) Form. conc. pag. 586: „credimus, docemus et confitemur, ... postquam homo per fidem est justificatus, tum veram illam et vivam

diminuta vis justificationis sane jam non sufficiebat ad salutis certitudinem confirmandam; quare, ne homines de salute sua dubitarent ac desperarent, novo gradu opus erat in ordine salutis post justificationem, qui id efficeret, quod justificatio sola, sanctificationis societate destituta, jam non poterat efficere, ut homo certus fieret de salute sua. Addiderunt igitur illi doctores lutherani unionem mysticam, qua confirmaretur certitudo salutis, et posuerunt eam post justificationem ante sanctificationem.

Quum autem, ut antea demonstratum est, unionis mysticae orthodoxae doctrina, num Deus infinitus et absolutus sit, in dubium vocetur, rejecta unionis mysticae doctrina, quam orthodoxi saeculi XVII docent, haec mihi de Deo in fidelibus inhabitante docenda videntur: Quamquam substantia Dei infinita atque absoluta eodem prorsus modo ubique et in omnibus creaturis praesens est, quae praesentia nullo modo mutari potest nec appropinquante nec recedente Dei substantia, tamen alia ethica ratio, quae justificatione hominis efficitur, inter Deum et homines fideles intercedit atque ea, quae est Dei cum ceteris omnibus hominibus. Eis enim, qui, quum vera fide Christi meritum apprehenderint, justificati sunt, Deus, si ethicam spectamus rationem, pater est expiatus, dum eis, qui Christi meritum aspernantur, severus judex est; atque haec nova ratio, quae inter Deum expiatum et hominem vera fide justificatum intercedit, communio hominis fidelis cum Deo vocatur, cuius communionis sola et unica conditio vera homini est fides, quae est ratio ethica, quamobrem communio inter Deum et hominem fidelem ethica tantum esse potest. Deinde ubi Christus caput ecclesiae dicitur, talia sacri codicis verba non de substantiali quadam humanae quoque Christi naturae praesentia interpretanda sunt, quod ei, qui unionem mysticam

fidem esse per caritatem efficacem"; et pag. 692: „cum vero persona jam est justificata, tum etiam per Spiritum S. renovatur et sanctificatur."

docent, volunt, sed etiam his locis de ethica tantum ratione agitur. Ut enim ea ratio, quae est inter principem et rempublicam, capitis et corporis imagine describitur, item ea ratio, quae inter Christum et ecclesiam intercedit, hac imagine describi potest. Ecclesia enim, quum sit totum aliquid bene constructum, sane cum corpore comparari potest, cuius singula membra fideles homines sint, et cuius caput seu princeps Christus sit, qui, ut promisit, antequam hunc mundum relinqueret, Spiritu S. παρακλήτῳ seu consolatore in fidelibus operari voluit, ut, quemadmodum palmites ex vite, — cuius alterius simulacri jam antea mentio facta est, — succum vitalem hauriunt, fideles homines ex Christo, qui Spiritu S. in eis operatur, eum succum vitalem hauriant, qui ad spiritualem illam Deo et Christo placentem vitam, quae ex fide in Jesum Christum oritur, agendam necessarius est.

Haec est Dei et Christi et Spiritus S. cum hominibus fidelibus communio, non substantiae Trinitatis vel humanae Christi naturae appropinquatio, sed ethica tantum ratio, quae sola fide efficitur et hominem vere fidelem et justificatum necessario impellit, ut bonis operibus probet et confirmet justificationem suam, quo facto vere christiana caritas et sincerus amor comitentur et sequantur veram fidem christianam.

Sententiae controversae.

I.

Ex Hebr. XIII, 24 concludi non potest, epistolam ad Hebraeos datam non in Italia esse scriptam.

II.

Vera est Scotistica illa doctrina, bonum et honestum eam solum ob causam bonum et honestum esse, quod id velit Deus; nec probari potest Thomistica, velle Deum bonum et honestum, quod sit bonum et honestum.

III.

Qui negat, miracula a Deo fieri posse, theisticam Dei notionem habere non potest.

IV.

Orthodoxa lutherana unionis mysticae doctrina cum theistica Dei notione pugnat.

V.

Animas hominum die novissimo denuo cum eisdem corporibus conjunctum iri, quibus in hac vita usae fuerunt, ex novo testamento non potest probari.

VI.

Vera est *ἀποκαταστάσεως πάντων* doctrina.

Weilburgi.

Typis Ludovici Aemilii Lanzii.